

Christus assumpsit totum hominem, id est omnia quae spectant ad naturam humanam

Ad quintum dicendum, quòd siue in dictis Sanctorum, siue sacrae Scripturae, vel Doctorum inueniatur, quòd homo sit assumptus, exponendum est, homo, id est humana natura. Cum ergo Damasc. ait, Christus assumpsit totum hominem, exponendum est, id est totam naturam, vel exponendum est, quòd assumpsit totum hominem, quia assumpsit omnia, quae pertinent ad naturam humanam, & hoc sine peccato, quia non assumpsit peccatum.

ARTIC. III.

Vtrum homo in Christo dicat aliquid aliud, quàm compositum ex anima rationali, & carne.

Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. p. 3. q. 4. art. 3.



TERTIO quæritur, Vtrum homo dicat aliquid aliud, quàm compositum ex duabus substantijs, anima scilicet rationali, & carne. Et specialiter quæritur de homine Christo.

Et videtur quòd non. Quia homo non dicitur æquiuocè de Christo, & Petro; sed cum dicitur homo de Petro, non dicit, nec prædicat aliud, nisi compositum ex duabus substantijs; ergo eodem modo erit in Christo.

Præterea dicitur in Symb. Athan. *Sicut Anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus*: Sicut ergo in puro homine se habent anima rationalis, & caro; ita in homine Christo se habent Deus, & homo; sed anima rationalis non est de intellectu carnis, nec è conuersò, ergo in homine Christo Deus non est de intellectu hominis, nec è conuersò.

Præterea. In Christo nihil est, præter tres substantias; si ergo homo in Christo significat, vel importat omnes illas tres substantias, verè dici potest, quòd Christus est homo tantum; sed hoc est falsum; ergo &c.

A Præterea. Totum non dicitur vniri patri, sed pars toti: si ergo homo in Christo diceret omnes illas tres substantias, tunc homo in Christo diceret totum; non ergo ibi propriè esset vnio ad personam Verbi, vel ad Dei Filium, cum vnio non sit respectu totius. ergo &c.

IN CONTRARIUM est. Quia nihil aliud est homo, nisi habens humanitatem: cum ergo in Christo habens humanitatem sit Deus, vel ipse Dei Filius: ergo in Christo, hoc, quod dicitur homo, aliquo modo significat ipsum Deum.

B Præterea. Hoc nomen homo, verè prædicatur de Dei Filio, non accidentaliter: ergo in hoc nomine, homo, quantum ad Christum, importatur ipse Dei Filius, & sic idem quod prius: ergo &c.

RESOLVTIO.

Homo in Christo non solum dicit compositum ex anima, & carne, sed etiam suppositum diuinum: sicut in cæteris hominibus non solum dicit naturam humanam, sed etiam suppositum humanum: quia nomen significat formam primariò, & aggregatum secundariò: ideo hoc nomen, homo, semper significat naturam in supposito: in Christo autem non est nisi suppositum diuinum: propterea dicit hominem, & Deum simul.

RESPONDEO dicendum, quòd scripta communia quæstionem propositam sequuntur modo grammaticali: nam quia apud Grammaticos omne nomen, significat substantiam, & qualitatem; ideo nituntur scripta communia declarare in significato nominis, quid se habet vt qualitas, quid vt substantia. Dicunt ergo, quòd in nomine duo est considerare: illud, à quo imponitur nomen, & hæc est qualitas nominis; & illud, cui imponitur, & hoc est substantia nominis: Et quia omne nomen importatur ab aliqua forma, quæ se habet, vt qualitas, & aliquid, quod se habet, vt substantia, ergo omne nomen significat substantiam, & qualitatem.

Sed hoc est mirum, quòd qualitas nominis sit principalior in significatione nominis,

Opinio ætiorum.

In significatione nominis qualitas est principalior ipsa substantia.

Donatus
Grammaticus.

minis, quàm substantia: cum semper A qualitas intelligatur aliquid additum substantiæ. Propter quod si volumus sequi modum ipsius Donati, qualitas accidit nomini. Nam inter accidentia nominis qualitas computatur, quæ duplex est, propria, & appellatiua; vt dicatur qualitas propria, cum nomen imponitur vni tantum, vt Socrates, vel Plato: dicatur autem communis, vel appellatiua, cum nomē ex sua impositione imponitur multis; Nam quantum ad substantiam non differunt homo, & Socrates, quia quodlibet eorum significat substantiam, & naturam humanam; sed differunt quantum ad qualitatem; quia Sortes significat naturam, & substantiam humanam cum qualitate propria; quia est nomen proprium: sed homo significat illam eandem naturam, & substantiam cum qualitate communi, & appellatiua; quia homo est nomen commune, & appellatiuum.

Cum ergo sit de ratione nominis, vt hic de nomine loquimur, prout est quædam pars orationis, significans substantiam cum qualitate propria, vel commune cum casu, oportet, quod taliter ibi accipiantur substantia, & qualitas, vt conueniant omni nomini. Nam etiam ipsum nihil, cum sit nomen, significat substantiam, & qualitatem cum casu. Accipiat ergo hic pro substantia ipsum significatum nominis, vel id, quod significat nomen, ergo per substantiam, nihil, erit id, quod significat nihil, vel nihilum, pro qualitate vero erit modus significandi propriè, vel appellatiuè.

Sed dices, vt quidam obijcere consueuerunt: duplex est qualitas nominis, essentialis, & accidentalis. Qualitas enim propria, vel appellatiua est qualitas accidentalis, verum præter hanc qualitatem accidentalem, quæ est duplex propria, & appellatiua, est dare etiam qualitatem essentialem.

Sed hoc dictum, vel seipsum impedit, vel oportet tali dicto dare aliquam explanationem. Nam cum dicimus de pronomine, quod veram substantiam, & qualitatem acquirit mediante demonstratione, vel relatione, & ideo dicunt Grammatici, quod pronomina, si à demonstratione, & relatione cadant, inutilia sunt:

cum ergo per demonstrationem, & relationem aliquando acquirant pronomina qualitatem propriam, vt cum dicitur: Ego Petrus sedeo, & tu Ioannes ambulas. Aliquando qualitatem communem, & appellatiuam, sicut Poeta dicit, Ego cœlum tono, & tu mare da pluuiam; cum Cœlum, & Mare sint nomina appellatiua, quia multi sunt cœli, & multa sunt maria: nam omnes congregationes aquarum, quęcunque sint illæ, possunt appellari Maria, iuxta illud Gen. 1. *Congregationes aquarum appellauit Maria.* non est ergo nisi duplex qualitas, propria, & appellatiua; & vtramque huiusmodi qualitatem pronomina, quæ de se meram substantiam significant, possunt acquirere mediante demonstratione, vel relatione.

Sed quæres, Vtrum illud dictum, quod qualitas nominis potest sumi essentialiter, & accidentaliter, possit habere bonum intellectum? Ad quod dici potest, quod nomen, vt distinguitur à pronomine essentialiter est ei, quod significat substantiam, & qualitatem, sicut essentialiter est pronomini, vt distinguitur à nomine, quod significet meram substantiam sine qualitate: sed propter hoc non dabimus nisi duplicem qualitatem, propriam, & appellatiuam, quam de se importat nomen, vt distinguatur à pronomine: & ea de se priuatur pronomen, vt distinguatur à nomine. Hoc tamen non obstante, illa duplex qualitas, quę de se competit nomini, & non pronomini, inter accidentia nominis computatur.

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, soluendam esse aliter propositam quæstionem, quid in Christo significet hoc nomen, homo. Ad cuius euidentiā sciendum est, quod Philosophus in 8. Metaph. mouet quæstionem de significato nominis, quid significet nomen, Vtrum significet formam, vel aggregatum. Et soluit, quod significat vtrumque, scilicet formam, & aggregatum; sed non eodem modo; quia de intellectu primario, vel principaliter nomen significat formam: secundariò verò significat aggregatum, vt exponit communiter ibidem.

Si ergo hæc volumus adaptare ad Christum

Dubitatio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Opinio propria.

Nomen primario significat formam; secundario aggregatum.

In Christo
forma sumi-
tur pro na-
tura & ag-
gregatū pro
supposito.

Questio hec
a Philoso-
pho exami-
natur de for-
ma partis:
sed ab Ae-
gidio etiam
de forma
totius.

Cur nulla
naturacrea-
ta potest
per se sub-
sistere.

stum sumemus per formam, naturam, si-
cut sumit, & accipit Magister sent. d. 5.
nomine formæ debemus intelligere plen-
itudinem naturalem. Christus ergo ha-
bet in se duplicem formam Deitatis, &
humanitatis, quia habet in se duplicem
plenitudinem naturalem Deitatis, & hu-
manitatis. Est enim plenus, & perfectus
Deus, & plenus, & perfectus homo. Et
sicut nomine formæ possumus intelligere
in Christo ipsam naturam, tam diuinam,
quàm humanam, sic nomine aggregati
possumus intelligere ipsum suppositum,
aggregantis, idest connectentis, & vnien-
tis in se, idest in persona sua, vnam natu-
ram, idest humanam, alteri naturæ, idest
diuinæ.

Philosophus tamen hanc quæstionem:
Vtrum nomen significet formam, vel ag-
gregatum, videtur prosequi de forma
partis, vt, Vtrum hoc nomen animal si-
gnificet animam, vel ipsum totum ani-
mal. Nos autem possumus hanc quæstio-
nem prosequi de forma totius, quia hoc
modo magis spectat ad propositum, vide-
licet, Vtrum hoc nomen, homo, signifi-
cet formam, idest naturam humanam,
siue humanitatem, vel significet suppositum,
quod habet esse in humanitate. Se-
quendo viam Philosophi dicemus, quòd
significet vtrumque. Nam licet homo de
se principaliter videatur significare for-
mam, idest humanitatem, tamen quia
humanitas non habet esse, nisi in suppo-
sito, quia humanitas non potest per se
subsistere sine suo supposito: propterea
in Christo, & in quolibet puro homine,
homo, principaliter significando humani-
tatem, oportet, vt significet, & inclu-
dat in suo conceptu suppositum, in quo
substantetur illa humanitas; cum sine
supposito, nec ipsa humanitas, neque alia
quæcunque natura creata possit per se
subsistere. Differenter ergo loquemur de
subsistere, respectu naturæ creatæ, & re-
spectu naturæ diuinæ: nam respectu na-
turæ creatæ dicemus hoc esse ex indigen-
tia eius, quia non est suum esse; ideo non
potest per se esse, nec per se subsistere, sed
subsistit in suo supposito: seu non est sic
de natura diuina, vt sit ex indigentia
eius; nam nomen indigentie in diuinis
non recipimus, sed est ex fecunditate

A eius, quòd vna, & eadem numero exi-
stens, est, siue habet esse in pluribus sup-
positis.

Cum enim natura diuina sit ipsum
suum esse, & ipsum suum subsistere, quia
in Deo, vt dicit August. lib. 7. de Trinit.
cap 5. idem est esse, & subsistere, non in-
diget suis suppositis ad sui subsistere, si-
cut indigent naturæ creatæ. Nam cum
supposita diuina sint res relatæ, essentia
autem, & natura diuina sit res absoluta,
quia vt dicit August. lib. 7. de Trinit. c. 1.
si essentia diceretur relatiuè, essentia non
esset essentia, quia relatiua habent pro
fundamento aliquod absolutum, iuxta il-
lud eiusdem Augustini: *Omne quod rela-
tiuè dicitur, est aliquid, excepto eo, quod
relatiuè dicitur*: non autem, quod est
absolutum, habet pro fundamento ipsum
relatiuum: Non ergo, vt dicimus, ex in-
digentia, sed ex fecunditate, natura di-
uina habet esse in pluribus suppositis, quæ
non sunt plura absoluta, sed plura relatata,
quorum semper fundamentum est ali-
quod absolutum.

His itaque excursis dicamus, quòd
cum homo in Christo significet formam,
significat naturam creatam, quæ ex sui
indigentia exigit esse, & sustentari in
aliquo supposito: consequens est, quod
hoc nomen, homo, tam in Christo, quàm
in alijs hominibus significet naturam hu-
manam, & suppositum sustentans natu-
ram illam: aliter tamen, & aliter, quia
in Christo hoc nomen, homo, significat
humanitatem, quæ est natura creata, &
significat suppositum diuinum, quod est
suppositum increatum, sed in omnibus
alijs hominibus hoc nomen, homo, si-
gnificat naturam creatam, & suppositum
creatum; ideo quilibet alius homo est
purus homo, sed Christus sic est homo,
vt sit Deus, & homo: cum ergo quæri-
tur, quid significet, homo. Dici debet,
quòd tam in Christo, quàm in alijs ho-
minibus hoc nomen, homo, significat
naturam, & suppositum, sed aliter,
& aliter; quia aliter in Chri-
sto, & aliter in alijs ho-
minibus, vt est per
habita mani-
festum,

D. P. Aug.
lib. 7. de Tri-
nit. c. 5.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod tam in Christo, quam in alijs hominibus hoc nomen, homo significat naturam humanam in supposito; at in alijs suppositis homo significat naturam humanam, quæ est natura creata in supposito creato; sed in Christo significat naturam humanam, quæ est natura creata in supposito diuino: quod est suppositum increatum: ideo de intellectu ipsius Christi, & de significatione eius, licet quantum ad formam, & naturam humanam sit quid creatum, tamen, quantum ad suppositum, de intellectu eius est ipse Deus, qui est suppositum increatum. ideo Damasc. lib. 3. c. 3. vult, quod de significato Christi vt est homo, sit etiam ipse Deus: quod quidem verum est quantum ad suppositum. Nam hoc nomen, significat naturam humanam in supposito, quod est quid increatum, & verus Deus.

Ad secundum dicendum, quod non oportet, cum aliquid se habet, vt continens, vel vt comprehendens, vel vt neccens aliqua, vt vnum contentum sit de intellectu alterius contenti; sed sufficit, vt ambo contenta sint de intellectu ipsius continentis. Hoc ergo intelligimus nomine Christi, scilicet, quod est Deus, & homo, & quod est habens in se Deitatem, & humanitatem: Non ergo oportet in talibus, generaliter loquendo, Deum esse de intellectu hominis, & è conuerso; nec oportet Deitatem esse de intellectu humanitatis, & è conuerso, sed sufficit, Deum, & hominem, Deitatem, & humanitatem esse de intellectu Christi. Hoc enim intelligitur nomine Christi, scilicet Deus, & homo, vel quod est humanatus, habens in se Deitatem, & humanitatem.

Ad tertium dicendum, quod licet nomen principaliter significet formam, tamen oportet etiam, vt significet suppositum habens huiusmodi formam. Homo ergo prædicatur de Christo, vt dicit formam humanam in tali supposito: quo pacto designat tres substantias, duas ex parte formæ humanæ, & tertiam suppositi: & ideo non concedimus, quod

Aegid. super iij. Sent.

A Christus sit tantum homo, quia ratione etiam suppositi est Deus; cum ipsum suppositum in Christo sit quid increatum, & verus Deus.

Ad quartum dicendum, quod hoc est singulare in Christo, vt natura humana non sit de constitutione sui suppositi, & habeat se vt pars ad totum, idest ad suum suppositum. In Christo autem non possumus omnia saluare, quæ sunt de ratione partis, & totius, sicut in alijs hominibus; aliqua tamen ibi possumus saluare, & aliqua non. Sed cum quæritur, B Vtrum hypostasis, & persona Verbi, quæ erat simplex ante incarnationem, post incarnationem possit dici composita: poterunt omnia ista patere.

Natura humana in Christo se habet vt pars ad totum, licet in eo nõ possumus saluare omnia, quæ sunt de ratione totius & partis.

DISTINCTIONIS VI.

Pars Tertia Principalis.

De unitate, & simplicitate suppositi in Christo Domino.

QVAESTIO VNICA.



EINDE quæritur de tertio principali, scilicet de pertinentibus ad secundam opinionem, quæ videtur in hoc differre à prima; quia prima cum falsò poneret in Christo duo supposita, ideo concedebat Christum esse duo neutraliter, de hoc igitur quæritur.

Primò. Vtrum Christus sit duo neutraliter.

Secundò, quia ex hoc videtur sequi, quod in Christo sit duplex esse, quæremus. Vtrum in Christo sit vnum esse.

Tertiò. Quia secunda opinio ponit personam Verbi post incarnationem fuisse compositam, quæritur. Vtrum hoc sit verum.

Decõceptum seu significato Christi est ipse Deus, ita vt semper intelligatur homo Deus

Ad minorẽ argumenti dicitur non esse necessarium vt vnu contentum sit de intellectu alterius contenti: sed quod omnia contenta sint de intellectu continẽtis: & ita in Christo intelligimus Deum, & hominem.

Nomẽ principaliter significat formam: sed eundem suppositum habet formam.

*Utrum Christus sit duo neutraliter.
Conclusio est negativa.*



AD primum sic proceditur, Videtur, quod Christus sit duo neutraliter. Nam Christus est vnus vnitate increata, quæ est Deitas, & vnitate creata, quæ est humanitas, sed hæc vnitas non est illa, ergo Christus est saltem duo neutraliter.

Præterea. Christus est vnus vnitate personæ, sed non est vnus vnitate nature: cum ergo quælibet natura sit aliquid, Christus erit aliquid, & aliquid: ergo erit duo aliquid, ergo erit neutraliter, dato quod non sit duo masculinè.

Præterea. Christus, secundum quod Deus, est aliquid, quod est Pater, secundum quod homo est aliquid, quod est Mater; sicut ergo Pater, & Mater eius sunt aliquid, & aliquid, ita Christus erit aliquid, & aliquid, duo saltem neutraliter: ergo &c.

Præterea. Christus est aliquid passibile, quia est homo, & aliquid impassibile, quia est Deus; sed esse passibile naturaliter, & esse impassibile naturaliter, est esse aliquid, & aliquid, & est esse duo saltem neutraliter: ergo &c.

Præterea, secundum Damasc. lib. 3. c. 7. *Christus est totus vbique, sed non est totam*, quod non posset, nisi esset aliud, & aliud: ergo &c.

Præterea. Christus non est tantum homo, sed vt est homo, est aliquid vnum: si ergo non est tantum homo, non est tantum vnum, ergo si non est tantum vnum, erit duo saltem neutraliter.

IN CONTRARIUM est, Quia omne quod est, ideo est, quia vnum est. Si ergo Christus non esset vnum, etiam neutraliter, nihil esset.

Præterea. Maior est differentia, & maior est distantia humane nature ad diuinam, quam accidentis ad substantiam, sed accidens cum substantia non ponit in nu-

Amerum; quia aliquod suppositum non est duo neutraliter, propter hoc, quod habet in se substantiam, & accidens: ergo sic Christus non est duo neutraliter, propter hoc quod habet in se naturam humanam, & diuinam.

Præterea. Quando aliqua non sunt vnum, non prædicantur de re inuicem, sed in Christo Deus prædicatur de homine, & è conuersò, dicit enim August. 1. de Trin. c. 13. *Talis est enim illa susceptio humanitatis in Christo, vt Deum faceret hominem, & hominem Deum*; sed hoc non esset nisi Deus, & homo in Christo essent vnum, ergo &c.

RESOLVTIO.

Christus non est plures masculinè, quia masculinum genus dicitur tantum de re subsistente: neutraliter tamen potest dici plura secundum quid, quia neutrum dicitur tam de re subsistente, quam non subsistente, non tamen plura simpliciter, quia est tantum vnum suppositum, sed secundum quid.

RESPONDEO dicendum, quod in solutione questionis propositæ triplici solutione vtetur. primò distinguemus, quomodo differt esse vnum, vel plura, neutraliter, & masculinè: & vtum idem sit concedere Christum esse plura neutraliter, & esse plures masculinè. Secundo distinguemus inter esse vnum, vel plura simpliciter, vel modo aliquo, & secundum quid. Tertio distinguemus de prædicatione in recto, vel in obliquo. Nam dato, quod in Christo sint plura, Vtrum possit congruè dici in recto, quod Christus sit illa plura, vel sic oporteat nos concedere in Christo esse plura, vt tamen Christus non sit illa plura.

Propter primum sciendum, quod etiam vt communiter dicitur: Neutrum genus de se est informe, & indistinctum: Masculinum verò de se est formatum, & determinatum, & idem etiam est secundum communem nostrum usum loquendi, quia masculinum non prædicatur, nisi de re perfecta, & subsistente; sed neutrum genus prædicatur de vtraque, videlicet de re perfecta, & imperfecta, de subsisten-

Ordo questionis solvendi.

Neutrum genus est de se informe: masculinum autem est formatum.

sistente, & non subsistente. Et ideo dictum est *neutrum*, quia non refert ut vnum istorum sit quodlibet eorum, & possit dici neutrum, siue sit subsistens, siue non subsistens, siue perfectum, siue imperfectum; propter quod concedimus: humanitas, vel albedo Petri, *neutrum*, id est quod sit aliquid, sed non concedimus *masculinum*, quod sit aliquis, at verò de ipso Petro, qui est quid perfectum, & subsistens, concedimus vtrumque tam masculinum, quod est aliquis, quam neutrum, quod est aliquid.

Si ergo hæc volumus adaptare ad Christum, concedemus de Christo vtrumque genus, videlicet, quod est aliquis masculinè, & quod est aliquid neutraliter; sed de humana natura in Christo concedi potest neutrum, sed non masculinum. Concedimus enim de humana natura in Christo, quod sit aliquid, sed non concedimus quod sit aliquis masculinè. Hæc autem distinctio potissimè locum habet in natura creata, quæ non prædicatur de suo supposito. Nam nullus homo est sua humanitas, immo nec ipse Christus, qui est singulari modo homo, est sua humanitas. Verùm non habet locum hæc distinctio in natura diuina, quæ propter sui simplicitatem prædicatur de suis suppositis. Nam Christus, qui est suppositum in vtraque natura, licet non sit sua humanitas, est tamen sua Deitas. Humanitas ergo etiam in Christo ita est aliquid, quod non est aliquis, sed Deitas Christi est aliquis, & aliquid, quia est ipse Christus. Sic ergo dicendum est secundum primam distinctionem, ubi distinguitur inter genus neutrum, & masculinum, & ubi distinguitur inter esse plura neutraliter, & esse plures masculinè.

Sed huic distinctioni oportet addere secundam distinctionem, videlicet, prout esse plura etiam neutraliter, potest esse dupliciter, vel simpliciter, vel aliquo modo, & secundum quid: quia enim in Christo est duplex natura etiam substantialis, cum non solum natura diuina in Christo sit substantia, sed etiam humana; propter quod vtraque natura Christi, quantum ad rem in hoc conueniunt, quod vtraque est substantia: tamen quantum ad modum differunt; quia natura di-

Aegid. super iij. Sent.

A uina in Christo est substantia, & habet modum substantialem; quia est de constitutione Verbi; sed natura humana in Christo, licet sit substantia, habet tamen modum accidentalem, quia non constituit suppositum Verbi, sed sustentatur in huiusmodi supposito, iam in esse constituto. Et in hoc sequitur modum accidentis, quia nulla accidentia constituunt suum suppositum, sed solum sustentantur in supposito iam in esse constituto. Cum ergo in Christo sit duplex natura, diuina, & humana, & quælibet prædicetur de ipso, licet aliter, & aliter, quia

B natura diuina prædicatur de Christo in concreto, & in abstracto. Christus namque est Deus, & Christus est Deitas: sed humanitas prædicatur quidem de Christo in concreto, quia Christus est homo; sed non in abstracto, quia non est humanitas: oportet ergo concedere, quod Christus aliquo modo sit plura neutraliter, licet non sit plures masculinè: si enim humanitas esset aliquid, & aliquis, Christus non solum esset plura neutraliter, sed etiam esset plures masculinè.

C Quibus declaratis, patet, quod licet Christus aliquo modo possit dici plura neutraliter, non tamen potest dici plures masculinè. Aduertendum tamen, quod etiam neutraliter Christus non potest dici plura simpliciter, sed si Christus dicitur esse plura quantumcunque neutraliter, hoc est aliquo modo, & secundum quid. Nullo tamen modo potest dici Christus plures masculinè. Masculinè ergo Christus est omnino vnus, quia non est nisi vnum suppositum, & vna persona: & ideo non est nisi vnus aliquis. Neutraliter verò potest dici plura, non simpliciter, sed aliquo modo, & secundum quid. Quæ omnia sic declarantur. Nam tota difficultas in hoc quæsto surgit ex natura humana in Christo, non ex natura diuina: licet enim natura diuina in Christo sit aliquis, & aliquid, natura tamen humana ita est aliquid, quod non est aliquis: Tamen Christus, vel Dei Filius ante incarnationem, sicut nullo modo erat plures masculinè, ita nullo modo erat plura neutraliter. Erat enim vnum masculinè, & vnum neutraliter, per omnem modum loquendo, ut possumus in tanta materia.

Y 2 Nam

Natura humana in Christo, licet sit substantia, habet tamen modum accidentis.

Natura diuina prædicatur de Christo in concreto, & in abstracto: sed natura humana solum in concreto.

Christus est plura neutraliter, non autem plures masculinè.

Christus masculinè est omnino vnus: neutraliter potest dici plures non simpliciter, sed secundum quid.

Natura humana in Christo ita est aliquid, quod non est aliquis, sed natura diuina est aliquis, & aliquid.

De Christo conceditur vtrumque genus masculinum, & neutrum non autem de natura humana, sed bene de natura diuina.

Deitas Christi est ipse Christus.

Esse essentialiter contingit simpliciter, & secundum quid.

Nam semper cum de diuinis loquimur, vbi omnino insufficientes sumus ad loquendum, semper cum timore, & caute la loqui debemus. Sic ergo dicendum, est de Christo, vel de Dei Filio ante incarnationem, sed post incarnationem, omnino oportet nos concedere, Christum esse aliquo modo plura. Nam Sortes sedens non est omnino idem, cum se ipse stante. Dicere ergo Christum, sicut nos veritas cogit, esse passibilem, & impassibilem, circumscriptibilem, & incircumscriptibilem, & esse Deum, & hominem, & non esse aliquo modo plura, stare non potest. Propter quod sciendum, quod sicut in istis creaturis, quamdiu est diuersitas suppositorum, omnis alia vnitas est vnitas secundum quid, vt Petrus, & Ioannes, quia sunt diuersa supposita, quantumcunque sint vnum specie, quia quilibet est homo, vel vnum genere, quia quilibet est animal, si quaeretur, Vtrum sint plura, vel vnum, diceremus, quod sunt plura simpliciter; si autem sunt vnum, hoc est quodammodo, & secundum quid: sic e conuerso, quando aliqua plura predicantur de vno, & eodem supposito, si quaeratur a nobis, Vtrum illud, & vnum suppositum sit plura, vel vnum; certum est, quod vnum simpliciter, cum sit vnum suppositum: si autem est plura, hoc est quodammodo, vel secundum quid. Propter quod soluta est quaestio, quia Christus cum hoc, quod non est plures masculinè, quia non duo, sed vnus est Christus; nec etiam simpliciter, & absolutè loquendo non est plura neutraliter, cum non sit nisi vnum, & idem suppositum Verbi, de quo dicuntur omnia, quae dicuntur de Christo.

Stante diuersitate suppositorum omnis alia vnitas est sibi quid. & stante vnitate suppositi omnis alia pluralitas est secundum quid.

Solutio quaestionis.

Aliud est querere Verbum in Christo sint plura, & vtrum Christus sit plura.

Verum, quia in principio huius solutionis fecimus tertiam distinctionem de recto, & obliquo; quia aliud est querere Vtrum in Christo sint plura, vel Vtrum ipse Christus sit plura; ita vt etiam in recto plura predicentur de Christo. Nam si quaestio proponitur hoc modo: Vtrum in Christo sint plura, plana est responsio, etiam simpliciter loquendo, quod in Christo sint plura, cum in Christo sint duae naturae, diuina scilicet, & humana, quarum vna non est alia: & ex qui-

bus non constituitur vna natura tertia, dicente Damasceno lib. 3. cap. 3. *In Christo Iesu non est communem speciem accipere*: quod potissimè verificatur de natura diuina, & humana, quae sunt in Christo, quae non sunt vna natura; nec ex eis constituitur vna tertia communis natura. Sed si quaeratur in recto, Vtrum Christus sit plura; si natura humana posset in recto predicari de Christo, sicut predicatur diuina, vt si posset verè dici, quod Christus sit humanitas, sicuti verè dicitur, quod Christus sit Deitas; tunc nulli dubium, quod sicut in Christo sunt plura, idest plures naturae simpliciter, ita Christus esset plura, idest plures res simpliciter; sed cum natura humana non predicetur de Christo in abstracto, sed solum in concreto, vt includit, & implicat suppositum, propter identitatem, & vnitatem suppositi, non est concedendum, quod Christus sit plura simpliciter, sed solum quod est plura quodammodo.

Damas. lib. 3. cap. 3.

Natura humana non predicatur de Christo in abstracto, sed in concreto.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod argumentum non concludit aliud, nisi, quod in Christo sunt plura, & sunt in eo plures vnitates; sed cum in Christo sit vnum, & idem suppositum, quod est vnum vtraque vnitate, licet argumentum concludat, quod in Christo sint plura simpliciter; non tamen concludit, quod Christus sit plura simpliciter, de quo est principalis quaestio nostra.

Argumentum concludit in Christo esse plura simpliciter, non autem Christum esse plura, primum conceditur, secundum negatur.

Ad secundum dicendum, quod licet Christus sit aliquid, & aliquid, quia est Deus, & homo, & sicut esse Deum est esse aliquid, ita etiam esse hominem est esse aliquid, tamen quia non est nisi vnum, & idem suppositum, quod est sic aliquid, & aliquid; ideo Christus, simpliciter loquendo, non est plura, quia non est plura supposita.

Christus est aliquid, & aliquid.

Ad formam arguendi, quod Christus non est vnus vnitate naturae, dici potest, quod si vtraque natura predicaretur de supposito, vel de persona Verbi in recto, & in abstracto, ita vt verè dici posset, quod suppositum Verbi est humanitas, sicuti verè dicitur, quod est Deitas, argumentum esset info-

Quia natura humana non predicatur in recto & in abstracto de supposito Verbi, sed tamen in concreto implicando suppositum, quod cum sit unum, propter dualitatem naturarum, non dicitur duo simpliciter, sed unus propter unitatem suppositi.

Quia humana natura non predicatur de Verbo in abstracto, sed tantum in concreto, ideo argumentum non concludit.

In Christo non sunt plures masculinitates, sed plura neutraliter, non simpliciter, sed sunt quid.

Neutrum plus dicitur quam masculinum.

insolubile; sed quia humanitas non predicatur de Christo, nisi in concreto, & implicando suppositum; quantumcunque in Christo sit pluralitas naturarum propter unitatem suppositi, Christus simpliciter loquendo, non est plura; tamen si esset vera prima opinio, quam reputavimus erroneam, quod in Christo essent plura supposita, simpliciter concedendum esset, quod Christus esset plura.

Ad tertium dicendum: Si illud, quod Christus habet à Matre: scilicet naturam humanam: predicaretur de Christo in recto, & bene dictum esset, quod Christus esset humanitas, sicuti bene dicitur, quod est Deitas, oporteret nos concedere etiam simpliciter Christum esse plura; sed ut dictum est, cum humanitas non predicatur de Christo, nisi in concreto, & implicando suppositum propter unitatem suppositi, non est concedendum simpliciter Christum esse plura.

Aduertendum ergo, quod propter pluralitatem naturarum in Christo est aliquid, & aliquid; quia quaelibet natura in Christo est aliquid; sed licet Deitas in Christo possit dici aliquid neutraliter, & aliquid masculinè; quia Deitas etiam in abstracto predicatur de supposito; tamen humanitas in Christo, licet neutraliter possit dici aliquid, tamen masculinè non debet dici aliquid: quia non predicatur in abstracto de suo supposito. In Christo ergo non sunt plures masculinè: tamen, possunt dici in Christo plura neutraliter, licet simpliciter loquendo, propter unitatem suppositi, Christus non sit plura, etiam neutraliter.

Ad quartum dicendum, quod neutrum simpliciter plus dicit, quam masculinum, quia neutrum potest verificari de substantia, & accidente, quia substantia est aliquid, & albedo est aliquid: tamen, masculinum non sic verificatur de utroque: quia licet albedo sit aliquid, non, tamen est aliquid, quia non constituit de se suppositum; & sicuti neutrum, non tamen masculinum, dicitur de substantia, & accidente, sic dicitur de parte, & toto, & de perfecto, & imperfecto, quia & totus homo est aliquid, & manus eius est aliquid; & tam perfectum, quam imperfectum potest dici aliquid: sed masculinè

Aegid super iij. Sent.

A pars non debet dici aliquis; quia non constituit de se suppositum. Nullus enim diceret, quod manus, & pes essent aliquis, quia talia non constituunt de se suppositum, sic & aliquid in neutro dicitur tam de natura, quam de supposito. Cum ergo neutrum genus se extendat ad naturam, & ad suppositum, ad partem, & ad totum, ad substantiam, & ad accidens, ideo aliqua concedimus de Christo masculinè (puta est ubique totus) quod non concedimus de eo neutraliter (scilicet, est ubique totum) quia tunc sequeretur, quod secundum quamlibet naturam, & secundum quamlibet sui partem esset ubique totum. Magis ergo concludit, quod in Christo est aliud, & aliud, quam quod Christus sit aliud, & aliud; quia in Christo est alia, & alia natura, est alia, & alia pars, quia est in eo manus, & pes, & caput: quod licet in Christo sint hæc, non tamen est hæc: quia non utraque sua natura, nec est aliqua sua pars. Concedimus ergo in Christo esse plura: sed non concedimus simpliciter ipsum esse plura, nisi modo, quo dictum est.

Christus est ubique totus: sed non ubique totus

C Ad quintum dicendum: sufficit ad hoc, ut Christus non sit tantum unum, quod sit aliquo modo plura, sed non oportet, ut sit plura simpliciter.

Christus non est plura simpliciter; sed secundum quid.

ARTIC. II.

Utrum in Christo sit tantum unum esse. Conclusio est affirmatiua.

D Thom. 3. p. q. 17 art. 2. Caiet. Siluius ibid. Rada tom. 3. contr. 7. art. 2. Ricch. in 3. d. 6. q. 5. D. Bonau. d. 6. ar. 1. Cap. d. 6. q. 1. Aestius d. 6. §. 3. Suar. disp. 35. lect. 2. Aluar. disp. 75. Val. t. 4. q. 17. disp. 1. punct. 1. Cabr. ad 3. p. q. 17. disp. 1.



SECUNDO quæritur, Utrum in Christo sit tantum unum esse. Et videtur, quod non. Quia omne esse est à forma: ergo anima rationalis in Christo dat sibi aliquod esse; quia semper forma substantialis dat esse, & etiam ali-

quod esse dedit Deitas : ergo in Christo sunt duo esse .

Præterea . Vnum esse est Filij , & Patris ; si ergo non est nisi vnum esse in Christo homine ; ergo erit vnum esse illius hominis , & Dei Patris ; sed nulla est maior vnio , quàm illa , quæ est secundum esse : ergo humanitas est vnita Deo Patri , & Deus Pater est humanatus , quod est falsum .

Præterea . Definitio est oratio , indicans quid est esse rei , sed Christus in eo quod homo , habet eandem definitionem cum Petro : & in eo quod Deus non habet eandem definitionem cum ipso ; ergo non est in Christo tantum vnum esse ; quia tunc secundum omnem modum Christus haberet eandem definitionem cum alijs hominibus .

Præterea , secundum Philosophum .
Arist. 2. de anim. t. c. 37.
2. de anima : *Viure viuentibus est esse* , sed in Christo est duplex viuere , vel duplex vita , videlicet humana , qua fuit in morte priuatus , & diuina , qua non fuit priuatus in morte : ergo &c.

IN CONTRARIUM est . Quia omne esse competit rei per se subsistenti ; si ergo in Christo esset duplex esse , essent in eo duo per se subsistentia , & duo supposita , quod est falsum .

Præterea . Quorum non est vnum esse , vnum non prædicatur de alio ; si ergo Christus haberet aliud esse in eo quod Deus , & aliud in eo quod homo ; tunc in Christo non prædicaretur Deus de homine , nec è conuersò , quod est falsum ; quia idem Christus est Deus , & homo : ergo &c.

Præterea . Vnius rei vnum est esse ; sed Christus est vna res , vna persona , vnum suppositum : ergo &c.

RESOLVTIO.

In Christo sunt plura esse essentia , quia plures natura subsistantur in supposito diuino : est tamen vnū esse subsistentia , quia est in eo vnum tantum suppositum : licet natura diuina competat subsistere , tamen comparata ad subsistentiam suppositorum non ponit in numerum . Natura verò humana in Christo non habet aliam subsistentiam à subsistentia Verbi .

RESPONDEO dicendum , quòd aliqui distinguunt , & benè , vt in suis scriptis notauerunt , triplex esse , videlicet esse essentia , esse actuale , & esse subsistentia : prosequemur ergo quæstionem propositam secundum hoc triplex esse . Esse itaque essentia est illud , quod indicatur per definitionem , vel esse essentia , est idem , quod ipsa essentia , quæ potest tripliciter accipi ; quia quædam essentia est potentia pura , vt essentia materia , quædam est actus purus , vt essentia diuina , quædam est composita ex potentia , & actu , sicut essentia cuiuslibet creatura , quæ potest per se habere esse . Cùm ergo queritur , Vtrum in Christo sint plura esse , si quæris de esse essentia , quod est idem , quod ipsa essentia , certum est , quòd in Christo sunt plura esse , quia sunt in eo plures essentia , & nature , humana scilicet , & diuina . Sed si sit quæstio de esse actuale , videndum est , quid sit tale esse ; & quæ fuit necessitas ponendi tale esse , & quem modum sequitur tale esse .

Sciendum ergo , quòd esse actuale rei est id , quod causatur ab essentia rei , secundum quem modum dicimus , omnem rem creatam habentem per se esse , dici compositam ex essentia , & esse . Res ergo creatæ , quia non sunt suum esse , sed participant esse : ideo realiter differunt in eis essentia , & esse . Ex ijs autem patere potest , quid sit actuale esse . Sed si queratur , quæ fuit necessitas ponendi tale esse sic realiter differens ab essentia ? Dicemus , quòd sicut transmutatio fecit scire materiam , & actio formam ; ita creatio fecit nos scire , quòd essentia est realiter differens ab esse , & quòd omnis creatura per se existens , vel potens per se existere est composita ex essentia , & esse . Hoc enim intelligimus nomine creaturæ , vt sit de nihilo facta , & de se sit nihil , vel de se sit non ens . Et ideo oportet , vt illa non sit ipsum esse , sed sit participans esse : Propter quod ponere cogimur in omni creatura realiter differre essentiam , & esse : Sicut enim in omni creatura transmutabili ad formam cogimur ponere compositionem ex materia , & forma , quia potest perdere formam , & acquirere formam ; sic quælibet creatura transmutabilis

Esse essentia quid , & quocumque .

In Christo plura esse essentia .

Quid sit esse actuale , & necessitas ponendi illud .

In creaturis realiter differre essentia ab esse .

bilis ad esse, est composita ex essentia, & esse: quia per creationem acquirit esse, & sibi derelicta, desineret esse.

Sed adhuc aliqui, proteruietes, dicunt, quid est istud esse? Et nos quæremus ab eis, quid est forma? Nam sicut forma, nihil est aliud, quam quædam perfectio materiæ, & omnes res transmutabiles sunt compositæ ex materia, & forma; sic esse non est nisi quædam perfectio ipsius essentia, & omnes res creabiles, quia de se non habent esse, sed sunt priuatæ esse; ideo sunt compositæ ex essentia, & esse: sicut res naturales, quia materia de se dicit quid priuatum forma, ideo sunt compositæ ex materia, & forma. Bene ergo dictum est, quod sicut transmutatio fecit scire materiam esse differentem à forma; sic creatio fecit scire essentiam esse differentem ab esse.

Creatio facit scire, essentiam differre ab esse: sicut transmutatio, materiam à forma.

Declarato ergo quid sit actuale esse, & quæ fuit necessitas ponendi, essentiam esse differentem a tali esse: volumus declarare, quem modum sequatur huiusmodi actuale esse: dicemus enim, quod semper sequitur modum formæ: nam omnis creatura, vel est composita ex materia, & forma, sicuti sunt res naturales: vel sunt ipsa forma sicut intelligentiæ, quas communi nomine vocamus Angelos, inter quas secundum naturam infimum gradum tenet anima rationalis: & quia omnis creatura in eo quod creatura est composita ex esse, & essentia, cum esse immediatè sequatur formam, siuè illa forma, sit perfectio materiæ, siuè sit per se existens: Ideo cum quæritur, quem modum sequatur actuale esse: cogimur dicere, quod sequitur modum formæ: quia huiusmodi esse immediatè innititur formæ quam materiæ. Quapropter bene dictum est, quod omne esse est à forma: & sicut esse actuale est à forma, sic sequitur modum formæ. Propter quod si forma substantialis rei est partibilis, & extensa, esse actuale, quod sequitur ipsam, est partibile, & extensum: si autem forma sit impartibilis extensione carens, esse actuale, sequens eam, erit impartibile, & extensione carens: ideo esse lapidis est extensum; quia forma lapidis est quid extensum, & esse animæ rationalis, & multò magis esse intellectuale est quid impartibile, & ex-

tenensione carens, quia anima rationalis, & intellectiua sunt impartibiles, & extensione carentes. Essentia rei ergo, vel eius quidditas est obiectum intellectus: propter quod esse actuale non est de necessitate rei, vel de necessitate ipsius essentia, vel ipsius quidditatis, ut est quid intelligibile, sed est de necessitate eius, ut est effectus agentis. Et ideo est quæstio irrationabilis, Vtrum Deus possit facere essentiam sine esse, vel è conuersò. Nam cum Deus non possit facere aliquid, quod non sit effectus eius: & etiam, quia ut ait Commentator, nullius agentis est facere, quod repugnat effectui: Ideo cum esse, & essentia sint de compositione rei, ut est effectus agentis: impossibile est essentiam aliquam creatam esse in effectui, sine suo esse actuali ab ea realiter differente, vel è conuersò. Si ergo de tali esse actuali differente ab essentia sit quæstio, Vtrum in Christo sint talia duo esse, patet, quod quantum ad diuinam naturam, vel essentiam, talis quæstio locum habere non potest; quia diuina essentia, vel natura, est idem, quod suum actuale esse. Si autem sit quæstio de essentia, & natura humana, patet, quod non est ibi nisi vnum tale esse; quia non est in eo, nisi vna humanitas, vel vna natura humana. Assumpsit ergo Christus humanam essentiam, vel naturam cum omni sua perfectione: aliter enim non esset perfectus Deus, & perfectus homo. Ad quod dictum declarandum, possumus assumere verba Damasc. lib. 3. c. 14. *Totum hominem assumpsit, ut totum hominem curaret, quia quod inassumptibile est, incurabile est.* Natura ergo humana, & quæcunque perfectio ipsius nature non est assumpta à supposito, vel à persona Verbi, ut constituens tale suppositum, vel talem personam, sed ut sustentata in tali supposito, vel persona. Non sunt ergo in Christo duo esse, nisi accipiatur esse pro esse essentia, quod est idem, quod essentia, & natura; quia sunt in Christo duæ essentia, vel nature. Immo possumus etiam concedere tres ibi essentias; quia natura, & essentia humana composita est ex duabus essentijs, videlicet ex essentia animæ rationalis, & carnis.

Esse actuale non est de necessitate ipsius quidditatis, ut est quid intelligibile: sed bene ut est effectus agentis.

Impossibile est essentiam aliquam creatam esse in effectui sine suo esse.

Damasc. lib. 3. cap. 4.

In Christo non sunt duo esse, nisi esse sumatur pro essentia, immò in eo ut sic possumus concedere tres essentias.

His itaque transcurfis restat videre de esse

D. P. Aug.
lib. 7. de Trin.
tit. c. 1.
Diuinæ es-
sentia com-
petit subsi-
stere.

Quid impor-
tet subsi-
stere.

Boet lib. de
Trinit.

esse subsistentiæ. Vtrum in Christo sit vnum esse tale tantum. Sciendum ergo, quatenus oportet nos dicere, quod subsistere conueniat diuinæ essentiæ, vel naturæ, & oportet nos dicere, quod subsistere cuilibet diuino supposito, vel personæ conueniat. Quod autem subsistere conueniat diuinæ essentiæ, vel naturæ, patet per Augustinum, qui cum lib. 7. de Trin. cap. 1. dixisset, quod *essentia se habet ad esse, sicut sapientia ad sapere, & potentia ad posse*; postea dicit eodem lib. cap. 4. quod *in Deo idem est esse, & subsistere*: si ergo esse potissimè competit diuinæ essentiæ, & in Deo idem est esse, & subsistere, oportet, quod subsistere competat diuinæ essentiæ. Rursus oportet, quod subsistere competat diuino supposito, vel personæ; nam, vt communiter dicimus, suppositum, vel persona Verbi subsistit in duabus naturis, diuina scilicet & humana: cum in tanta materia à dictis communibus non sit recedendum: & cum facta sit assumptio humanæ naturæ in supposito, vel in persona Verbi, vt est distinctum à supposito Patris, vel Spiritus Sancti; quia solus Filius assumpsit carnem, & solus Filius est incarnatus, non Pater, nec Spiritus Sanctus, ideo oportet, quod subsistere competat cuilibet diuino supposito. Dicemus ergo, quod subsistere importat habere per se actuale esse: & tunc competit diuinæ essentiæ, vel naturæ, quæ non differt à suo actuale esse, sed est idem, quod suum esse: & ideo, vt superius arguimus, quia nihil magis competit rei, quàm illud, quod est idem sibi; ideo esse potissimè competit diuinæ essentiæ, vel naturæ. Et quia esse per se est idem, quod subsistere, ideo loquendo hoc modo de subsistere, oportet quod subsistere potissimè competat diuinæ naturæ, & essentiæ, cui per se potissimè competit esse, quia est idem, quod suum esse; sic ergo accipiendo subsistere idem est, quod esse fundamentum omnium: nam sicut fundamentum sustentat omnia, ita essentia diuina est fundamentum omnium. Dicemus autem, quod in diuinis non sunt nisi duo, absolutum, & respectuum: vt dicit Boet, in lib. de Trin. *In diuinis non sunt nisi duo predicamenta, substantia, & relatio*. Si ergo in diuinis sunt infinitæ per-

fectiones; quia est ibi bonitas, magnitudo, sapientia, iustitia, & cæteræ tales perfectiones, omnes transeunt in substantiam, & vnum, & idem absolutum, sunt, & vna, & eadem substantia: & sicut substantia, vel essentia in diuinis dicit quid absolutum; ita suppositum, vel persona in diuinis dicit quid relatiuum: ideo in diuinis non est nisi vna essentia, vel natura; quia non est ibi nisi vna res absoluta; sed sunt ibi tria supposita, vel tres personæ, quia sunt ibi tria relata, vel tres relata. Si ergo loquamur de subsistere, prout idem est, quod esse fundamentum, sic subsistere, potissimè competit diuinæ essentiæ, quæ dicit quid absolutum; nam absolutum respectu relatiui se habet vt fundamentum. Et hoc modo verificatur dictum August. 7. de Trin. cap. 1. *Omne quod relatiuè dicitur est aliquid, excepto eo, quod relatiuè dicitur*, quia semper relatiuum tanquam fundamentum præsupponit aliquod absolutum, in quo fundatur. Nam relatiuum vt relatiuum, non est aliquid, sed ad aliquid & quia non potest esse ad aliquid, nisi sit aliquid: ideo semper relatiuum tanquam fundamentum præsupponit aliquid absolutum. Et ideo si subsistere accipiatur pro eo, quod est idem, quod esse fundamentum; tunc subsistere potissimè competit diuinæ essentiæ, vel naturæ, quæ de se non dicitur relatiuè, sed absolute.

Sed si subsistere accipiatur, prout idem est, quod sub natura communi sistere, vel sub natura communi stare, sic subsistere competit cuilibet diuino supposito, vel personæ; quia quodlibet diuinum suppositum stat sub natura diuina, quæ est communis tribus. Hoc enim modo quodlibet diuinum suppositum stat sub natura diuina, quia quodlibet diuinum suppositum non prædicatur nisi de vno solo, scilicet de ipso; sed natura diuina tanquam communis tribus prædicatur de quolibet illorum trium, tam in abstracto, quàm in concreto; quia quælibet diuina persona, & suppositum est Deitas, & est Deus; nec tamen propter hoc sunt tres Deitates, vel tres Dij, sed vna Deitas, & vnus Deus. Nec tamen debet mirari aliquis, quod diuina supposita, quæ dicuntur relatiuè, & habent esse relatiui, sint per se subsistentia;

D. P. Aug. 7
de Trin. c. 1.

Si subsistere sumatur prout est idem quod esse fundamentum, sic competit natura diuinæ si vero sumatur prout est idem quod sub natura communi sistere, sic competit cuilibet diuino supposito.

Plus habet
de stabilitate
diuina
relatio, quã
quolibet
substantia
creata.

tia ; & competat eis per se subsistere, quia plus de stabilitate diuina relatio, quã quæcunque substantia creata: & ideo magis debemus mirari, si supposita creata, quæ sunt substantia creata, quantumcunque non relatiuè, sed absolutè sumpta, possunt per se subsistere ; quia multo magis diuina supposita relatiuè sumpta, plus per se subsistunt, cum dictum sit, quòd plus est diuina relatio, & plus habet stabilitatis, & immutabilitatis, quã quæcunque substantia creata.

Omnibus ergo his expeditis, cum quaeritur, vtrum in Christo sit tantum vnum esse, accipiendo esse pro subsistere ; patet quòd non est in Christo nisi vnum tale esse, vel vnum subsistere ; quia non est ibi nisi vnum subsistens. Natura autem humana, quam assumpsit Christus, non in eo vt quòd per se subsistens, seu existens ; sed vt sustentatur in supposito, vel persona Verbi tanquam in per se subsistente. Et si dicas, quòd naturæ diuinæ competit per se subsistere, & supposito diuino competit per se subsistere ; patet, quòd per se subsistere, & vt competit naturæ diuinæ, & vt supposito diuino, non sumitur eodem modo. Et si sumeretur eodem modo, non propter hoc in Christo esset, nisi vnum subsistere ; quia natura diuina comparata ad diuinum suppositum non ponit in numerum cum illo, nec è conuersò, & comparata ad omnia supposita non ponit in numerum cum illis, nec è conuersò : nam si Pater est gignens, Filius res genita, Spiritus Sanctus vt procedens ; natura autem vel essentia diuina, nec gignit, nec gignitur, nec procedit ; non tamen propter hoc sunt quatuor res, sed tres res relatæ, & vna absoluta non ponens in numerum cum illis tribus relatis ; ita quòd nullo modo debemus concedere in Deo esse quatuor res, vel quaternitatem ; sed tres res, idest Trinitatem, & vnitatem ; quia est ibi Trinitas suppositorum ; & vnitatis essentia ; sed ibi quaternitas nullatenus est ponenda.

Ad quæstionem ergo principalem, cum quaeritur, Vtrum in Christo sit tantum vnum esse : si quaeras de esse essentia, quòd est idem, quòd essentia, possumus ibi concedere duo esse, sicut ibi concedi-

mus duas essentias, vel naturas. Sed si quaeras de esse actuali, quòd est differens à natura, non est ibi duplex tale esse differens à sua essentia, vel natura. Si verò quaeras de esse subsistentia, non est ibi nisi vnum tale esse, quia in Christo non est nisi vnum per se subsistens, scilicet suppositum, vel persona Verbi. Omnia autem assumpta à Christo non habent per se esse, sed sustentantur in supposito, vel persona Verbi, quòd est ibi per se subsistens.

In Christo
sunt plura
esse, & vnã
subsistere.

B RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum, cum dicitur, quòd anima rationalis dedit Christo aliquod esse, vel, quòd idem est, per animam rationalem in Christo fuit aliquod esse, & per Deitatem aliquod esse. Dicit debet, quòd anima rationalis Christi fuit composita ex essentia, & esse, sicut & cæteræ animæ rationales ; sed propter hoc non fuit in Christo duplex actuale esse, differens à sua essentia ; quia licet esse actuale animæ rationalis esset differens à sua essentia, esse Deitatis non erat differens à sua essentia, vt ex principali solutione haberi potest. Ex ijs ergo licet concludi posset, quòd in Christo sit duplex esse essentia, quia est in eo duplex essentia, vel natura ; non tamen concludi potest, quòd in eo sit duplex esse actuale differens à sua essentia. Vel possumus dicere, & melius, quòd cum quaeritur, Vtrum in Christo sit duplex esse, intelligitur de esse subsistentia, vt est esse suppositi ; & est idem quaerere, Vtrum in Christo sit duplex esse, quòd quaerere, Vtrum in Christo sint duo subsistentia, vel duo supposita. Assumpsit ergo Christus essentiam animæ rationalis cum carne, quam perficit, & cum suo esse actuali, quòd perficitur, nullum autem istorum, nec omnia simul, habent in Christo per se esse, vel per se subsistere ; sed omnia sustentantur in Supposito, vel persona Verbi, iam ab æterno in esse constituta, vt ex omnibus nihil arguere possumus de esse, vel subsistere Verbi, vt hic de talibus quaeritur.

In Christo
sunt duo esse
essentia,
sed vnũ tan-
tum esse
subsistentia.

Ad secundum autem respondent dicta communia, quòd aliud est de Deo, & alijs hominibus, ac alijs rebus ; quia in Deo

ARTIC. III.

Verum persona Verbi post incarnationem sit composita. Conclusio est affirmativa.

D. Thom. 3. p. q. 2. ar. 4. Caiet. Medina. Siluius ibidem. Fautin. in 3. d. 6. q. 3. disput. 16. Radda tom. 3. contr. 3. art. 3. Riccard. in 3. d. 6. q. 6. D. Bonau. q. 2. Aestius in 3. dist. 6. §. 2. Suarez ad 3. p. disput. 7. sect. 4. Aluar. disp. 12. Vasquez disput. 16. per totam. Val. t. 4. disp. 1. p. 4. Cabrera q. 2. ar. 4. disput. 7. Albertin. Corr. q. 3. Theo. corol 3. per totum.

Esse subsistens humana natura, est idem, quod esse subsistens Verot, ad quod ipsa natura humana assumitur.

Definitio respicit esse essentiae: non esse subsistentiae.

Tom. 1. Vita sumitur pro esse essentiali, quam plurimificari in Christo non est inconueniens.

Natura humana in Christo est composita ex pluribus essentijs.

Deo ipsa essentia est subsistens; unde sibi secundum se debetur esse, immo ipsa est suum esse subsistens. Haec autem dicta communia adducemus ad confirmandum dicta nostra superius enarrata, quod ipsi essentiae diuinae competit per se subsistere, & per se habere esse, & esse fundamentum omnium, sicut id, quod dicitur absolute est fundamentum omnium, quae dicuntur relatiue. Ad formam autem arguendi dicendum, quod esse, ad quod immediate assumpta est natura humana in Christo, est esse personale, in quo distinguitur Filius a Patre, & Spiritu Sancto. Propter quod solus Filius est humanatus, & incarnatus, non Pater, nec Spiritus Sanctus. Cum ergo in Christo non sit nisi vnum esse personale, vel vnum subsistere, vt subsistere competit personae, vel supposito; nihil contra nos argumentum concludit.

Ad tertium dicendum, quod esse, quod indicat definitio, est esse essentiae, & quidditatis, quia definitio, vt potest haberi ex lib. 7. Metaph. est sermo expressiuus essentiae, & quidditatis. Ex hoc ergo non habetur, quod in Christo sit duplex esse subsistentiae, vt hic de esse loquimur, sed quod in eo est duplex esse essentiae, vel, quod idem est, duplex essentia, vel natura, quod concedimus.

Ad quartum dicendum, quod Viuere, & vita possunt accipi pro ipso essentiali; secundum quem modum loquitur Augustin. lib. Confess. Anima est vita carnis, vel corporis. Hac autem vita fuit priuatum corpus Christi in morte; quia ipsa essentia animae fuit separata ab ipso corpore. Et quia iam concessimus, quod in Christo est duplex, vel multiplex esse, essentialiale, sicut est in eo duplex, vel multiplex essentia, ideo contra nos non arguit argumentum.

Dicimus autem in Christo esse duplicem, vel multiplicem essentiam; quia licet natura diuina in Christo sit omnino simplex non composita ex pluribus essentijs; natura tamen humana in Christo est composita ex pluribus essentijs, carnis scilicet & animae.



ERTIO quaeritur, vtrum Persona Verbi post incarnationem sit composita. Et videtur, quod non: quia omne compositum est melius suis componen-

tibus, quia bonum additum bono facit ipsum magis bonum; cum ergo Deitate nihil melius esse possit; ideo &c.

Præterea. In Christo non est nisi persona aeterna: sed nullum æternum est compositum, ergo persona Christi nullo modo poterit dici composita.

Præterea. Ad simplicitatem diuinæ essentiae pertinet, quod nec sit composita, nec sit alteri componibilis; sed in diuinis Persona est ita simplex, sicut Essentia: ergo &c.

Præterea. Omnis imperfectio à Deitate, & à qualibet diuina persona est aliena, sed secundum Philosophum 3. phys. pars habet rationem materiae, & imperfecti: ergo talia sunt aliena à Deitate, & à qualibet persona diuina.

IN CONTRARIUM est, Damasc. lib. 3. cap. 3. asserens in Christo esse vnā hypostasim ex duabus naturis compositam.

Præterea in Symb. Athan. dicitur: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. sed homo, vel persona humana, loquendo de puro homine, est composita ex anima rationali, & carne, ergo persona Christi est composita ex Deitate,

& humanitate, cum Christus sit Deus, & homo,

Arist. 3. phys. sic. tex. 66.

D. Damasc. lib. 3. c. 3.

RESOLVTIO.

Persona Christi est composita, quia nomine Christi intelligimus Deum, & hominem simul: eius autem compositio dicitur perfecta, dignatiua, & exigitua.

RESPONDEO dicendum, quòd secunda opinio de incarnatione Verbi, quam diximus esse Catholicam, asserit personam Verbi post incarnationem esse compositam ex duabus naturis, ex Deitate scilicet & humanitate. Hoc etiam asserit Damasc. lib. 2. cap. 4. vbi ait, *In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas cognoscimus. Vnam autem hypostasim ex virisque compositam.* Et idem eodem lib. cap. 5. dicit, in Christo esse vnam hypostasim ex duabus naturis perfectam compositam.

Ad quorum euidenciam sciendum, quòd licet incarnationi Verbi nihil inueniatur omnino simile, propter quod illa incarnatio dicitur ineffabilis, & inexplicabilis; quia non potest per aliqua, vel per aliquid omninò simile declarari. Possumus tamen ad declarationem eius aliqua, licet non omninò similia adducere. Nam in aliqua persona humana esset omninò simplex; & haberet naturam omninò simplicem, & postea sumeret albedinem, & ex tali assumptione esset homo albus, hac hypotesi itante, licet homo ille ante assumptionem albedinis esset omnino simplex, tamen post assumptionem albedinis, & factus homo albus, esset persona composita ex humanitate, & albedine: Sic & in proposito, licet non sit omnino simile, immo sit valdè dissimile, Persona Verbi ante incarnationem erat omninò simplex, & habebat naturam omninò simplicem: Immo ante incarnationem persona Verbi erat ita simplex, sicut natura diuina, siue diuina essentia; sed illa persona Verbi humanata, & incarnata, & assumens carnem facta est composita ex Deitate, & humanitate. Nomine ergo Christi non intelligimus hominem purum, sed hominem Deum; nec intelligimus Deum nudum, sed Deum incarnatum, & indutum carne, vt potest haberi à Damasc. lib. 3. cap. 12. Cùm er-

Persona diuina est æque simplex ac natura diuina.

A go quicquid, vel quæcunque intelligimus nomine alicuius, omnia sint de intellectu eius, quia nomine Christi non intelligimus purum hominem, sed hominem Deum; nec intelligimus Deum nudum, sed Deum incarnatum, & humanatum, oportet, vt Deitas, & humanitas sint de intellectu Christi: sed cum aliqua plura sint de intellectu alicuius suppositi, vel personæ, oportet, vt illud suppositum, vel persona dicatur quid compositum ex illis pluribus. si ergo natura diuina, & humana sint de intellectu Christi, non possumus omninò effugere, quin concedamus personam Christi post incarnationem esse compositam ex duabus naturis, diuina scilicet & humana, vt asserit secunda opinio, quam reputamus esse Catholicam.

Quid nomine Christi intelligendum sit.

Aduertendum tamen, quòd hæc sancta & ineffabilis compositio, quantum ad præsens spectat, potest triplici nomine declarari; quia potest dici compositio perfecta, dignatiua, & exigitua: & nullum istorum nominum vacat mysterio. Potest autem in primis hæc sancta compositio dici perfecta, secundum quem modum loquitur Damasc. lib. 3. c. 5. vbi ait, vnam hypostasim Christi ex duabus naturis perfectam & compositam. Dicitur enim hæc sancta compositio perfecta; quia excludit omnem imperfectionem. Est enim hypostasis, vel persona Verbi quoddam totum, & quoddam compositum ex duabus naturis perfectum, idest carens omni imperfectione; & habens omnem perfectionem sibi debitam ex vtraque natura, & respectu vtriusque naturæ. Nam si comparemus personam Verbi ad naturam diuinam, habet ex ea quod perfectionis est; & quia perfectionis est, vt ex tali natura sit perfectus Deus, ideo ex Deitate persona Verbi est perfectus Deus. Et sicut Verbum, vel persona Verbi habet omnem perfectionem, vt comparatur ad naturam illam; sic caret omni imperfectione, vt comparatur ad eandem naturam; & quia imperfectionis est, quòd non sit omninò idem, & quòd non sit omninò simplex, sicut natura diuina, ideo non solum personæ Verbi, sed etiam cuilibet personæ diuinæ hoc competit, vt sit simplex, idem cum natura diuina, & sit ita simplex

Compositio Christi potest dici Perfecta, Dignatiua, & Exigitua.

plex, sicut natura illa: quælibet enim persona diuina comparata ad illam naturam, quæ se habet vt fundamentum omnium relationum constituentium personas diuinas, dicitur non habere alietatem, vel distinctionem respectu talis naturæ. Habent namq; personæ diuinæ alietatem, & distinctionem inter se, quia tres personæ diuinæ sunt tres res relatæ, aliæ, & distinctæ ad se inuicem; tamen vt comparantur ad diuinam essentiam, vel naturam, nullam distinctionem, nullam alietatem realem habent ab ea, vt nullo modo diuina essentia, vel natura possit dici res quarta respectu trium personarum, nec alia res à quacunque persona. Nam cum personæ diuinæ constituatur in suo esse personali per proprietatem relatiuam, vel per relationem; & essentia diuina sit fundamentum omnium illarum relationum, quia relatio comparata ad fundamentum non est res, sed ratio. Est enim hoc proprium relationis, quantumcunque realis, quod sic realiter distinguatur à suo supposito, vt nullam compositionem realem faciat cum suo fundamento. Ideo benè dictum est, quod relatio personarum constituens personam diuinam, comparata ad diuinam naturam, quæ est omnium talium relationum fundamentum non est res; sed ratio, vt ex hoc tantam identitatem habeat realem quælibet Persona diuina ad suam essentiam, vel naturam, tam in abstracto, quàm in concreto, quod propter huiusmodi identitatem de se inuicem prædicentur, vt quælibet persona diuina sit Deus, qui est nomen significans in concreto, & è conuersò, quia Deus est quælibet persona diuina; sic etiam propter tantam identitatem prædicantur in abstracto; quia quælibet persona est Deitas, & è conuersò.

Viso quomodo ista sancta compositio, quæ est in persona Verbi ex duabus naturis habens omnem perfectionem est omninò perfecta, & carens omni imperfectione ex parte naturæ diuinæ, volumus hoc extendere ex parte naturæ humanæ. Nam hoc modo intelligimus diuinam personam, vel suppositum Verbi subsistere in natura humana; quia sicut natura diuina (vt sæpe iam diximus) potest sup-

plere vices cuiuscunque naturæ, sic quodlibet diuinum suppositum potest supplere vices cuiuslibet suppositi. Nam nihil aliud intelligimus per incarnationem, vel humanitatem Verbi, nisi quod natura illa humana, si non fuisset assumpta à persona Verbi, constituisset de se personam, vel suppositum humanum: assumpta autem à Verbo non constituit de se, nec suppositum, nec personam, sed sustentatur in supposito, vel persona Verbi, ab æterno iam in esse constituta. Et hoc modo persona, vel suppositum Verbi dicitur supplere vices illius personæ, vel suppositi humani, quod constituisset natura humana, si non fuisset assumpta à Verbo: sed istud supplere vices debet intelligi cum omni perfectione, amota omni imperfectione.

Et ideo diligenter videndum est, cum sit quæstio de totalitate, & compositione personæ Verbi, secundum quem modum loquitur Damasc. lib. 3. c. 32. quod hypostasis Verbi Dei ante incarnationem simplex erat, & incomposita; post incarnationem verò facta est composita ex carne, & Deitate. Propter quod dicendum, quid perfectionis est in re totali, & composita, ex sua totalitate, & compositione, & quid imperfectionis. Et quod est ibi perfectionis, debemus attribuere totalitati, & compositioni personæ Verbi, & quod est imperfectionis debemus remouere ab ipsa, & hoc respectu naturæ humanæ; quia respectu naturæ diuinæ iam diximus, quomodo est inde imperfectio remouenda. Sciendum ergo, quod compositum, siue totum, vt dependet à suis partibus, & vt constituitur ex suis partibus, hoc est imperfectionis, sed vt partes sustentantur in toto, vel in composito, & admittuntur ad esse totius, vel compositi, hoc est perfectionis ipsius compositi, vel totius.

Dicemus ergo, quod persona Verbi est quoddam totum habens esse in duabus naturis, humana scilicet, & diuina, & in pluribus partibus naturæ humanæ in anima scilicet rationali, & in carne, iuxta illud: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*. sed sic subsistit tanquam quoddam totum, & quoddam compositum ex huiusmodi

Diuina natura non potest dici quarta res in diuinis respectu personarum diuinarum

Relatio comparata ad fundamentum non est res, sed ratio.

Quid sit suppositum diuinum in Christo supplere vices suppositi humani.

D. Damasc. lib. 3. c. 32.

Totum, vt dependet, & constituitur ex suis partibus, dicitur imperfectionis: vt autem sustentat partes, & eas admittit ad unum esse, dicitur perfectum

D. Athan. in Symb.

iufmodi partibus, quod non dependet à natura humana, nec ab eius partibus; nec constituitur in effe personali Verbi per naturam humanam, nec per eius partes; quia ista sunt imperfectiois. Attamen sic subsistit in natura humana, & in eius partibus, quòd tam humana natura, quàm eius partes sustentantur in persona Verbi, & admittuntur ad effe personale Verbi; quia non constituunt personam aliquam, nec habent per se esse, tam humanitas, quàm eius partes, sed habent esse in persona Verbi.

Dubitatio.

Sed dices, licet humanitas non faciat ad constitutionem personæ Verbi, Deitas tamen facit ad constitutionem eius; quia sicut Deitas cum proprietate relatiua, Patris, quæ est Paternitas, constituit personam Patris, ita Deitas cum proprietate relatiua Filij, quæ est filiatio, constituit personam Filij: sic etiam Deitas cum proprietate relatiua Spiritus Sancti, quæ est processio, constituit personam eiusdem.

Solutio.

Ad quæstionem autem de constitutione personarum possumus respondere per illud dictum commune, per quod respondetur de emanatione earum. Nam quòd Filius emanet à Patre, & accipiat esse à Patre, hoc est dignitatis in Patre, in Filio autem non est indignitatis, sed proprietatis. Sic etiam quòd diuina essentia sit constitutiua personæ Filij, & cuiuslibet personæ, hoc est dignitatis naturæ, sic constituentis diuinam personam; personæ verò diuinæ sic constitutæ non est indignitatis, sed proprietatis.

Quod Filius Dei emanet à Patre, hoc est dignitatis in Patre; in Filio autem non est indignitatis, sed proprietatis. Ita de essentia respectu personarum.

Declarato quomodo compositio personæ Verbi post incarnationem dicitur esse perfecta, volumus declarare quomodo dicatur esse dignatiua, & exigitua, quæ de facili declarantur. Nam talis compositio dicitur dignatiua, quia talis est prout dignatur, & vult ipse Filius, & tota Trinitas: Dicitur etiam exigitua, quia talis est illa compositio, vt exigit, & requirit nostra redemptio. Nam hoc exigit & requirit nostra redemptio, vt Dei Filius nos redimens esset Deus, qui nos posset redimere, & pro nobis posset satisfacere, & esset homo, qui pro nobis

Christus vt homo de eò gruo satisficere debeatur.

satisfacere deberet, & ipse Christus, vt homo, aliquo modo, saltem de congruo

Aegid. super iij. Sent.

satisfacere teneretur. Hoc enim modo persona Filij post incarnationem composita est ex duabus naturis; quia vtramque naturam habens, dicitur esse composita ex vtraque; etenim ex vtraque sortitur, quicquid exigit redemptio nostra, quia per naturam diuinam est Deus, qui pro nobis satisfacere potest; & per naturam humanam est homo, qui modo, quo diximus, satisfacere debet. Hæc ergo sancta compositio potest dici perfecta, dignatiua, & exigitua, quibus omnibus modis in nullo derogatur excellentiæ, dignitati, & celsitudi personæ Filij, vt est per habita manifestum.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd persona sic composita, vt dictum est, non est magis bonum seipsa simplici; quia totum bonum creatum respectu boni diuini se habet, vt punctus respectu lineæ; sicut ergo punctus, additus lineæ, non augmentat lineam, sic &c. Nam si punctus augmentaret lineam; tunc partes diuisæ à toto essent maiores toto, cum in linea, diuisa in partes, sint plura puncta actu, quàm in linea tota, & continua, cum hoc sit inconueniens: ergo &c.

Negatur antecedens in proposito, quia persona Verbi, cum sit diuina, non est magis bonum composita, seipsa simplici.

Vel possumus dicere, quòd licet bonum creatum sit bonum particulare, bonum increatum sit bonum quoddam vniuersale, secundum quem modum loquitur August. 9. de Trin. c. 3. vbi de bonis creatis ait: *Bonum hoc, & bonum illud, sed tolle hoc, & tolle illud, & intelligas ipsum bonum, si potes, sic intelliges summum bonum, non alio bono bonum, sed seipso bonum, & omnis boni bonum.* Cum ergo quæ sunt causatorum per abundantius insunt causis: bona creata, & increata nihil addunt supra bonum suæ causæ.

Tom. 3.

Bona causa non addit supra bonum suæ causæ.

Ad secundum dicendum, quòd persona Filij non dicitur composita ex multis, quasi ex multis constituta, quia hoc est contra rationem æterni, sed dicitur composita ex multis, quia ad multa se extendit, & in multis naturis existit, quod potest cõpetere, & cõpetit supposito diuino.

Persona Verbi non dicitur composita ex multis, sed ex multis, in quibus existit.

Ad tertium dicendum, quòd compositio, vt dicit imperfectioem, repugnat summæ simplicitati, sed talis compositio,

Z de

Compositio
personæ di-
uinæ potest
stare cum
summa sim-
plicitate.

Compositio
personæ
Verbi est
sine imper-
fectione.

de qua loquuti sumus, quia potest stare cum summa perfectione, potest etiam stare cum summa simplicitate, ut est per habita manifestum.

Ad quartum patet solutio per iam dicta, quia sic in persona Verbi post incarnationem est compositio, ut non sit in eo aliqua imperfectio.

DISTINCTIONIS VI.

Pars Quarta Principalis.

De compositione in mysterio Incarnationis.

QVAESTIO VNICA.



EINDE quæritur de pertinentibus ad tertiam opinionem: Circa quod quæruntur tria; Nã licet quæsitum sit de compositione Verbi post incarnationem, adhuc propter clariorem intelligentiam ditorum, & dicendorum quæritur.

Primò. De huiusmodi compositione.

Secundò. Specialiter propter opinionem tertiam quæretur. Vtrum in Christo fuerit aliquid compositum ex anima, & carne.

Tertiò. Vtrum anima, & caro, siue anima, & corpus sint vnita Verbo accidentaliter.

ARTIC. I.

Vtrum persona post incarnationem debeat dici composita. Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. 3. p. q. 2. ar. 4. & Authores supra citati.



Primum sic proceditur. Videtur, quod persona post incarnationem nullo modo debeat dici composita. Nam summæ simplicitati repugnat omnis compositio; sed quælibet persona diuina

A est summè simplex, cum sit ita simplex, sicut diuina essentia: ergo &c.

Præterea. Summè perfectio repugnat omni imperfectio: sed quælibet diuina persona est summè perfecta; quia est ita perfecta, sicut diuina essentia: Et quia omne compositum videtur aliquo modo habere rationem imperfecti: ergo &c.

Præterea. Actui puro repugnat omnis possibilitas: sed quælibet persona diuina est actus purus, & quodlibet compositum videtur includere in se quandam possibilitatem: ergo &c.

B IN CONTRARIUM arguitur, & sunt argumenta facta in præcedenti quæstione, vbi per Damasc. & per illud, quod dicitur in Symb. Athan. probabatur personam Verbi post incarnationem esse compositam.

RESOLVTIO.

Persona Christi post incarnationem non solum est composita, quia dicitur Deus incarnatus; perfectus Deus, & perfectus homo, & supplet vices suppositi creati: sed dicitur magis composita quælibet persona humana, quæ est composita ex anima rationali, & carne: ex essentia & esse: & ex esse, & accidentibus: persona autem Christi, præter has, est composita ex duabus naturis diuina, & humana.

D RESPONDEO dicendum, quod fundamentum omnium dicendorum quantum ad incarnationem Verbi in hoc consistit; quia sicut natura diuina potest supplere vices omnium naturarum creaturarum; potest enim natura diuina sine quacunque natura creata facere, quicquid potest cum illa natura; sic quodlibet suppositum nature diuinæ potest supplere vices cuiuscunque alterius suppositi. Nam sine supposito cuiuscunque nature creata, potest facere quicquid posset facere cum illo supposito. Non aliud enim intelligimus esse incarnationem Verbi, nisi quod natura humana creata, non assumpta a Verbo, constituisset suppositum suum, assumpta autem a Verbo, non constituit suppositum, sed sustentata est in supposito Verbi, ab æterno in esse constituto: Propter quod suppositum Verbi, assumendo naturam humanam in omnibus sup-

suppleuit vices illius suppositi, quod constituit natura humana, si non fuisset sic assumpta, & præuenta. Propter quod de supposito Verbi, sic supplente vices suppositi humani, potest verificari, quicquid vniuersaliter verificatur de quocunque supposito humano. Et ideo sicut quodlibet suppositum humanum, verè est homo, verè est quid passibile, quid circumscriptibile, quid compositum; sic Dei Filius assumens naturam humanam; atque hoc modo supplens vices suppositi humani, factus est homo, verè circumscriptibilis, verè passibilis, verè compositus; & verè de ipso dicitur, quicquid generaliter verificatur de quolibet homine. Nam si aliter diceremus, cogeremur negare Christum esse hominem, si non verificarentur de eo omnia illa, quæ verificantur de omni homine, sine peccato, quia, vt ait Damascenus lib. 3. cap. 14. Christus assumpsit omnia nostra naturalia, non autem assumpsit peccatum; quia peccatum est contra naturam.

Ex hoc, quod suppositum diuini suppleuit vices suppositi humani, de eo verificatur omnia, quæ eò petunt suppositis humanis.

D. Damasc. lib. 3. c. 14.

Tripliciter ostenditur simplicitas diuini Verbi ante incarnationem & compositio post incarnationem

Triplici autem via declarare possumus Dei Filium, vel personam Verbi ante incarnationem fuisse simplicem, post incarnationem verò fuisse compositam, vt dicit Damascenus lib. 3. cap. 32. Prima enim via sumitur ex eo, quod persona Verbi, siue Dei Filius post incarnationem non debet dici Deus nudus, sed Deus incarnatus, siue Deus indutus carne. Secunda autem via sumi potest ex eo, quod Dei Filius post incarnationem non debet dici Deus tantum, sed Deus, & homo, & perfectus Deus, & perfectus homo. Tertia via sumi poterit ex eo, quod Dei Filius, hoc modo factus est homo, vel Verbum hoc modo factum est caro, quia suppositum Verbi suppleuit vices illius suppositi humani, quod constituit natura humana, si à Verbo non fuisset assumpta.

Prima via sic patet. Nam Dei Filius, vt dictum est, post incarnationem, non debet dici Deus nudus, sed Deus indutus carne; propter quod de intellectu Verbi incarnati, siue de intellectu ipsius Christi sunt duo, scilicet Deitas, & humanitas, siue Deitas, & caro, quia ibi caro stat pro tota humanitate; ideo in Symbolo dicitur

Aegid. super iij. Sent.

A tur: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Sed cum aliqua plura sunt de intellectu alicuius, oportet illud esse compositum ex omnibus illis, quæ sunt de intellectu eius, & sine quibus illud non potest intelligi; potest enim esse è conuersò, quòd aliqua faciant compositionem in aliquo, & tamen non sit de intellectu eius: sicuti accidentia faciunt compositionem in substantia, & tamen non sunt de intellectu substantiæ: sed quod aliquæ plures res sint de intellectu alicuius, & tamen non sint de compositione eius, hoc stare non potest.

Quando plura sunt de intellectu alicuius, illud est compositum.

Sed dices, quòd essentia diuina, & proprietates relatiuæ sunt de intellectu personæ, non enim possumus intelligere personam Patris, non intellecta diuina essentia, & Paternitate; quæ est eius proprietates relatiuæ; & tamen persona Patris non debet dici composita, sed est ita simplex, sicut diuina essentia.

Dubitatio.

Verum hæc obiectio nihil valet, quia proprietates relatiuæ comparata ad diuinam essentiam, vel naturam, quæ est fundamentum omnium relationum ibi existentium, nec est res alia, nec distincta, nec ponit in numerum cum ipsa. Non enim solum proprietates relatiuæ in diuinis, sed etiam ipsa persona diuina non ponit in numerum cum sua essentia. Pater namque, & sua essentia non sunt duæ res, nec diuina essentia cum tribus personis debet dici quatuor res; quia in diuinis, vt supra diximus, nullo modo est quaternitas, sed solum Trinitas, & Vnitas; Trinitas ex parte personarum, siue relatorum, & Vnitas ex parte essentiarum, vel absoluti. Sed non est sic in proposito, quia Deitas, & humanitas, vel Deitas, & caro, verè sunt duæ res, & verè sunt alia, & alia res. Sine quibus duabus rebus Persona Verbi post incarnationem non potest intelligi, vel hæc duæ res post incarnationem Verbi sunt de intellectu Personæ Verbi. Hoc est igitur, quod Damascenus ait lib. 3. capit. præallegato, quòd hypostasis Verbi Dei ante incarnationem erat simplex, & incomposita, & incorporea. Incarnata autem, facta est composita ex Deitate, quam semper habuit, & ex ea, quam

Solutio.

assumpsit carnem; & fecit duarum naturarum idiomata in duabus, vel cum duabus naturis cognita.

Secunda via, ad hoc idem, sumi potest ex eo, quod Dei Filius carnem assumens, factus est homo, & est verus, & perfectus Deus, & perfectus homo: & ideo oportet ipsum esse tripliciter compositum; sicut quilibet verus homo est tripliciter compositus, quia est compositus ex anima rationali, & humana carne; ex essentia, & esse; ex accidentibus, & substantia. Est enim in Christo, vel in persona Verbi post incarnationem compositio ex anima rationali, & carne. Et ideo Athanasius in suo Symbolo, loquens de Christo ait. *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*. Est enim in Christo nihilominus, ut est homo, compositio ex essentia, & esse. Nam hoc est in omnibus suppositis humanis, & in omnibus suppositis creatis, quod sint composita ex esse, & essentia.

Triplicis compositio in Christo.

Prima ex anima, & carne.

Secunda compositio ex essentia, & esse.

Dubitatio.

Solutio.

Sed dices ex hoc sequi, quod sit in Christo duplex esse: verum ut patuit in precedenti questione, in Christo sunt duo esse essentia, quia sunt in eo duae essentiae, vel etiam tres essentiae, quia licet essentia diuina sit essentia omnino simplex, non composita; essentia tamen humana, vel humanitas in Christo composita est ex duabus substantijs, vel ex duabus essentijs: licet autem in Christo sint plura esse essentiae; quia sunt in eo plures essentiae, tamen non sunt in eo plura esse substantiae, quam pluralitatem in Christo supra iam negauimus.

Vel possumus dicere, & breuius, & quasi in idem redit, quod licet Christus assumpserit humanam naturam, vel essentiam, & assumpserit esse, quod est quaedam perfectio illius essentiae, quia aliter non fuisset perfectus homo, si defecisset ei aliquid, quod esset de perfectione humanae naturae; tamen nullum istorum assumpsit tanquam aliquid per se subsistens; ut ex hoc Christus non possit dici duo substantiae, sed vnum subsistens, & vnum suppositum, & vna persona. Et ex hoc non possit dici in Christo esse duo esse substantiae, sed solum tale esse; quia

A non est ibi nisi vnum subsistens, & vna persona. Et ideo Athan. cum prius dixisset, *non duo tamen, sed vnus est Christus*: postea exponendo subdidit, *Vnus autem non confusione substantiae, sed unitate personae*.

Possumus autem in Christo addere compositionem tertiam, ut est homo, videlicet, quod est compositus ex substantia, & accidente, sicut & caeteri homines, tamen illa accidentia immediatè fundantur in ipsa substantia humana, & in ipsa natura humana ab ipso Verbo assumpta; ut hoc modo accidentia illa dicantur esse in persona Verbi, quia sunt in ea, mediante natura humana assumpta à Verbo. Nam sicut dicebamus de ipsa vnione, quae ex tempore, & de nouo competit Verbo, quod non competit ei per mutationem, vel per nouitatem factam in Verbo; sed per nouitatem, & mutationem factam in natura humana assumpta à Verbo. Hoc tamen non obstante, verè Verbum est vnitum carni, & humanitati, & verè Verbum factum est caro, & factum est homo. Sic & in proposito, non obstante, quod accidentia illa fundentur in humanitate, vel natura humana assumpta à Verbo, verè Verbum potest dici compositum ex anima rationali, & carne, ex essentia, & esse; ex substantia, & accidentibus, sicut & caeteri homines, cum ipse verus, & perfectus homo, assumendo carnem, fuerit per omnia fratribus assimilatus.

Enarratis duabus vijs quomodo persona Verbi post incarnationem possit dici composita, licet secunda via fuerit trimembris, volumus adducere viam tertiam, quod persona, vel suppositum Verbi post incarnationem, debet dici compositum ex eo, quod supplet vices suppositi creati; non cuiuscunque, sed illius suppositi creati, quod constituisset natura humana assumpta à Verbo, si non fuisset assumpta ab ipso. Nam ut dicit Damascen. lib. 3. c. 12. quod non est natura sine supposito, id non sic intelligendum est, ut semper quaelibet natura constituat suppositum suum, sed semper quaelibet natura est in supposito, quod in esse constituit, vel in supposito, in quo sustentatur iam in esse constituto. Nam, licet

Tertia compositio ex substantia, & accidente

Quomodo accidentia dicantur esse in persona Verbi.

Damasc. lib. 3. cap. 3. Quomodo intelligitur quod semper quaelibet natura habeat suum suppositum.

cet natura accidentalis non constituat A
 suppositum, sed semper sustentetur
 in supposito iam in esse constituto;
 hoc est tamen singulariter in Christo,
 quod natura humana in ipso, quæ non est
 accidens, sed substantia, non constituit
 suppositum, verum sustentata est in suppo-
 sito Verbi, ab æterno in esse constituto. Et
 quia natura humana si non fuisset assum-
 pta à Verbo, constituisset suum supposi-
 tum, ideo cogimur de necessitate conce-
 dere, quod suppositum Verbi suppleat vi-
 ces illius suppositi, quod constituisset
 natura humana, si non fuisset assumpta. B
 ab ipso. Et hæc via tertia declarat alias
 duas vias primas, & supplet si quis defe-
 ctus est in illis. Nam videntur horrere
 aures fidelium, cum audiunt, personam
 Verbi post incarnationem esse composi-
 tam: sed si consideremus, quod suppo-
 situm Verbi, assumentis naturam huma-
 nam, supplet vices illius suppositi, quod
 constituisset natura humana, si non fuisset
 sic assumpta. Et quia quicquid veri-
 ficatur de illo supposito sic constituto in
 esse humano, verificatur de supposito
 Verbi, assumentis naturam humanam: C
 & ut est homo, vel ut sic assumens na-
 turam humanam, factum est, quod sit
 homo, nihil horroris debet esse in auri-
 bus fidelium, si dicamus, suppositum
 Verbi ante incarnationem fuisse omnino
 simplex, & post incarnationem esse
 compositum, ut planè asserit Damascen.
 lib. 3. in multis locis. Nam si humana
 natura non fuisset assumpta à Verbo con-
 stituisset suppositum, quod de necessita-
 te diceretur compositum: ergo supposi-
 tum Verbi supplens vices illius supposi-
 ti, de necessitate concedere cogimur ip-
 sum post incarnationem esse composi-
 tum: immo magis est compositum sup-
 positum Verbi, assumens naturam huma-
 nam, & supplens vices illius suppositi
 creati, quod constituisset natura huma-
 na, si non fuisset assumpta ab ipso, quàm
 esset compositum suppositum illud hu-
 manum: constat enim, quod de compo-
 sitione suppositi creati est omne illud,
 quod facit ad esse eius, siue faciat ad es-
 se eius, dando sibi esse simpliciter, siue
 faciat ad esse eius, dando sibi aliquod
 esse: nam in alijs puris hominibus non

solum facit ad compositionem eorum,
 natura humana, quæ dat eis esse simpli-
 citer, sed etiam ad huiusmodi compo-
 sitionem facit quodlibet accidens, quod
 non dat huiusmodi esse simpliciter, sed
 esse aliquod. Nam albedo non dat ho-
 mini esse simpliciter, dat tamen ei esse
 aliquod, quia dat ei esse album, quod-
 cunque tamen esse dat sibi, est de compo-
 sitione eius, sicut & in proposito na-
 tura humana in Verbo, licet non sit ac-
 cidens, habet tamen quendam modum
 accidentis, quia aduenit Verbo post esse
 completum. Secundò habent hunc modum,
 quia non constituit suum supposi-
 tum, sed sustentatur in supposito iam
 in esse constituto, quod competit cuilibet
 accidenti. Et licet videatur Porphyrius
 dicere, quod accidentia sint de consti-
 tutione individui; illa autoritas habet
 rectam explicationem, ut declarauimus
 in 2. sent. Tertiò natura humana in
 supposito Verbi habet modum accidentis,
 quia non dat illi supposito esse simpli-
 citer, cum illud suppositum sit æternum:
 sed dat ei esse aliquod, quia dat ei
 esse humanam. Dicamus ergo, quod
 Dei Filius dupliciter potest considerari,
 vel secundum se, & sic est summè sim-
 plex, & ita simplex, sicut diuina essen-
 tia; vel ut assumens carnem, & supplens
 vices suppositi creati; & sic est summè
 compositus, & magis compositus, quàm
 sit aliquis purus homo, quia habet om-
 nes illas compositiones, quas habet na-
 turaliter quilibet purus homo, aliter non
 esset verus homo; & ultra hoc est com-
 positus ex Deitate, & humanitate, siue
 carne; cum vtraque natura sit de intelle-
 ctu Verbi incarnati, vel sit de intellectu
 Filij Dei assumentis carnem.

Reuertamur ergo ad propositum, &
 dicamus, quod suppositum Verbi sup-
 plendo vices suppositi creati, oportet,
 quod sit de compositione eius, quicquid
 suo modo esset de compositione supposi-
 ti creati, sed de compositione suppositi
 creati est, quicquid dat illi supposito es-
 se, siue sit esse simpliciter, siue sit esse ali-
 quod, siue sit quodcunque; dum tamè tale
 esse sit per aliam, & aliam rem. Nam non
 potest facere realem compositionem in
 aliquo, nisi quod est alia, & alia res, cum

Natura hu-
 mana in
 Verbo ha-
 bet modum
 accidentis.

Optima ra-
 tio, & expli-
 catio quò-
 modo sup-
 positum Chri-
 sti à Dama-
 sceno appel-
 letur compo-
 situm post
 ipsam incar-
 nationem.

Magis com-
 positum est
 suppositum
 diuinum in
 Christo, quàm
 fuisset sup-
 positum hu-
 manum, si
 natura hu-
 mana illud
 habuisset.

ergo alia res sit natura diuina, & alia res sit natura humana, & quælibet istarum naturarum det esse supposito Verbi, siue sit esse simpliciter, siue sit esse aliquod; quia quodlibet tale, cum est per aliam, & aliam rem facit compositionem in suo supposito. Benè dictum est, & Damasc. pluries repetit, quòd suppositum Verbi ante incarnationem erat omninò simplex, quia non erat in eo nisi vna natura, & vna res absoluta, post incarnationem verò factum est quid compositum, quia sunt in eo plures naturæ, & plures res absolutæ. Et (vt diximus) suppositum Verbi post incarnationem magis debet dici, quid compositum, quia compositum est ex Deitate, & carne, idest, ex Deitate, & humanitate, vt dicit Damasc. lib. 3. c. 32. quod est compositum sicut suppositum, quod constituisset natura humana, si non fuisset assumpta à Verbo; quia tale suppositum fuisset purus homo, & non fuisset Deus, & homo, & per consequens non fuisset compositum ex Deitate, & humanitate, sed fuisset compositum ex anima rationali, & humana carne, quæ sunt partes humanitatis. Diximus autem, suppositum Verbi post incarnationem esse compositum ex Deitate, & humanitate; quia quodcumque aliqua plura realiter differentia sunt de intellectu alicuius etiã cum proprietate vocabuli, possumus concedere illa esse de compositione eius. Et quia de intellectu Verbi incarnati est Deitas, & humanitas, seruata etiam proprietate vocabuli, concedere possumus post incarnationem suppositum Verbi ex illis duabus naturis esse compositum, vt in tertio libro pluribus in locis asserit Damascenus.

D. Damasc. lib. 3. c. 32.

Maiores argumēti est vera, quando compositio dicit mutationem in singulis componentibus: non sic est in Deo, quia nec Deus, nec persona diuina mutatur.

Ad primum dicendum, quòd eo modo, quo summè simplex potest assumere carnem, & fieri homo; cum homo dicat quid compositum, talis compositio non repugnat summæ simplicitati; quia talis compositio non fit per mutationem factam in Deo, à quo omnis nouitas, & omnis mutatio est aliena, sed per muta-

tionem factam in natura humana, à qua talia non sunt aliena.

Ad secundum dicendum, quòd vt patuit ex quæstione præcedenti, compositio quæ ponitur in persona Verbi, est per exclusionem omnis imperfectionis.

Ad tertium dicendum, quòd secundum Philosophum 3. Ethic. *Totum, & perfectum idem est, vel proximum secundum naturam.* Totum ergo, vt totum est, & vt importat quandam perfectionem, non dicit potentialitatem, & imperfectionem; sed hoc magis competit partibus, quàm ipsi toti, vt dicit quid perfectum; & maximè, cum hic loquamur de totalitate, & compositione excludente potentialitatem, & imperfectionem.

Ad argumentum autem in contrarium ex Damasceno, possumus dicere, quòd Damasc. asserit, personam Verbi post incarnationem esse compositam, non quia ibi reperiatur omnis modus, & ratio compositionis, potissimè enim nō reperiuntur ibi talia, quando sumuntur ab imperfectione, & potentialitate, vt est per habita manifestum.

Ad id verò, quod addebatur de Symbolo, dici debet, non esse omnino simile, quòd *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Et ideo tantum, & non plus reputetur tale simile; quantum valet.

ARTIC. II.

Vtrum in Christo homine sit aliqua compositio ex anima, & corpore, vel ex anima, & carne. Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. 3. p. q. 2. ar. 5. Caiet. Medina. Suarez ibidem. Cabrera dilput. 1. Val. t. 4 q. 2. puncto 1.



SECUNDO quæritur, Vtrum in Christo homine sit aliqua compositio ex anima, & corpore, vel ex anima, & carne. Et videtur, quòd non. Quia Magister supra in d. 2. ait, quòd humanæ naturæ, siue humanitatis vocabulo anima, & caro intelligi debent; sed anima & ca-

Compositio in persona Verbi excludit omnem imperfectionem.

Ad secundam partem minoris, dicitur esse veram, ratione partium & non ratione totius.

Ea quæ in compositio ne dicunt imperfectionem, sunt remouenda à compositione personæ Christi.

Similitudo attenditur quantum ad aliqua, non quantum ad omnia.

ro possunt intelligi ad inuicem non esse A composita, nec coniuncta, ergo &c.

Præterea, Damascen. lib. 3. cap. 3. ait. *In Christo Iesu non est communem speciem accipere: sed si anima, & caro fuissent ad inuicem composita in Christo, esset ibi communem speciem accipere, resultantem ex tali compositione; ergo &c.*

Præterea, Post ultimam compositionem non est dare vnionem ad aliquid aliud; sed vltima compositio possibilis in natura est compositio animæ rationalis ad carnem: ergo post illam compositionem non est dare vnionem ad aliquid aliud: si ergo in Christo anima rationalis, & caro fuissent ad inuicem composita post illam compositionem non esset dare vnionem ad suppositum Verbi, quia illa esset vltima compositio, & vltima vnio.

Præterea. Anima non coniungitur carni, nisi vt viuificet ipsam; sed hoc poterat fieri per vnionem carnis ad ipsum Verbum: ergo &c.

IN CONTRARIVM est, quòd homo dicitur vniuocè de Christo, & alijs C hominibus, quia aliter non esset eiusdem speciei, cum alijs hominibus, & non fuisset verus homo; & eo modo, quo ponit Fides, non satisfacisset pro humano genere: sed in alijs hominibus est compositio animæ rationalis, & carnis: ergo &c.

Præterea. Corpus non coniunctum, & non compositum animæ est inanimatum, & eo modo, quo loquitur Fides de incarnatione, & de assumptione est inassumptibile, quia Verbum assumpsit carnem mediante anima, ergo &c.

RESOLVTIO.

In Christo est compositio animæ rationalis, & carnis: sed ex tali compositione non resultat suppositum, vt credebant assertores primæ, & tertiæ opinionis: sed resultat natura humana, vt dicebat secunda opinio.

RESPONDEO dicendum quòd ad questionem propositam, poterimus statim, & faciliter respondere per verba Athanasij

qui ait de Christo in Symbolo. *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Si ergo in Christo homine, de quo est quæstio proposita, non fuisset compositio animæ, & carnis, non solum Christus non fuisset perfectus homo, sed etiã propriè loquendo non fuisset homo. Nam propriè loquendo, hoc intelligitur nomine hominis, aliquid compositum ex anima rationali, & carne. Sed vt in quæstione proposita profundius incedamus, hoc ordine procedemus: quia primò declarabimus, quæ sunt verè concedenda, & asserenda de Christo homine. Secundò comparabimus ad inuicem tres opiniones superius tactas de Verbo humano, vel de Christo homine. Nam licèt hæc quæstio specialiter sit mota ad declarandam opinionem tertiam, tamen quia semper plura bona paucioribus bonis sunt eligenda, & declaratio cuiuscunque famosæ opinionis sit quoddam bonum, quia omnes illæ tres opiniones tempore suo famosæ erant, bonum est, illas ad inuicem comparare, & eas, vt requirit quæstio proposita, declarare. Tertiò declarata veritate de Christo homine, & comparatis tribus opinionibus ad inuicem ex vtraque earum poterimus soluere quæstionem propositam.

Propter primum sciendum est, quod Christus est verus, & perfectus Deus, verus, & perfectus homo, vt potest patere ex Symbolo, & ideo ad duo genera suppositorum potest comparari, vel ad supposita diuina, videlicet ad Patrem, & Spiritum Sanctum: vel ad supposita humana, vt ad alios quoscunque homines: aliter enim loquendum est de Christo homine, vel de Verbo incarnato, quàm de Patre, & Spiritu Sancto, qui sunt diuina supposita, vel diuinæ personæ. Nam persona Verbi differt post incarnationem à Patre, & Spiritu Sancto, quia tam Pater, quàm Spiritus Sanctus est Deus tantum, vel Deus solum, quia quilibet illorum est Deus præcisè, idest Deus, non indutus carne, vel non indutus humanitate, vel nec factus homo. Filius autem post incarnationem non est Deus solum; sed est Deus, & homo, vel non est Deus tantum, sed est Deus indutus carne, & factus homo; & sicut

Ordo pro veritate quæstionis aperienda.

Personæ ubi differt post incarnationem à Patre, & Spiritu Sancto, quia vterque illorum est Deus tantum, illa verò est Deus, & homo: & per hoc differt etiã a puro homine.

& sicut Christus differt à Patre, & Spiritu Sancto post incarnationem, quia vterque eorum est Deus tantum; Christus autem est homo, & Deus; sic differt à quocunque alio puro homine, quia quilibet purus homo est tantum homo, Christus verò non est tantum homo, sed Deus, & homo. Ex utraque ergo comparatione, videlicet prout Christus comparatur ad personas diuinas, à quibus differt, vt est factus homo; & vt comparatur ad personas humanas, à quibus differt, quia non est purus homo, arguere possumus, quòd Christus sit homo, & quòd sit perfectus homo: & quia non esset perfectus homo, nisi esset compositus ex anima rationali, & carne, ideo in hac via, prout verificantur loquutiones de Christo, quia non est tantum, vel solum Deus, nec tantum, vel solum homo; sed est Deus, & homo, perfectus Deus, & perfectus homo: soluitur quæstio proposita, quòd in Christo est compositio animæ rationalis, & carnis, quia aliter Christus non esset perfectus homo.

Secunda via, ad declarandum hoc idem, sumi potest ex comparatione illarum trium opinionum ad inuicem, de quibus superius loquebamur.

Prima opinio. Nam prima, & tertia illarum ex eadem radice, vel ex eadem ignorantia videntur oriri; quia nescierunt distinguere inter suppositum, & naturam; qualibet enim illarum opinionum credidit, tam prima, quam tertia, quòd non posset esse compositio animæ, & carnis sine constitutione suppositi: ideo prima opinio volens saluare in Christo compositionem animæ rationalis, & carnis, posuit in Christo duo supposita, diuinum ab æterno, à Patre genitum, & suppositum humanum ex compositione animæ rationalis, & carnis constitutum.

Tertia opinio. Tertia opinio ex hac eadem ignorantia processit; credidit enim, quòd non posset esse compositio animæ, & carnis sine constitutione suppositi; & ideo ne poneret in Christo duo supposita, posuit animam rationalem, & carnem in Christo nec esse ad inuicem coniuncta, vel vnita, siue composita.

Secunda opinio. Secunda ergo opinio, quæ est Catholica, tenuit medium inter has duas opi-

niones, & rectè distinxit inter naturam, & suppositum, posuit animam rationalem coniunctam carni, verum ex tali conjunctione non constituebatur suppositum, sed solum constituebatur natura humana, quæ est composita ex anima rationali, & carne. In alijs ergo hominibus compositio animæ rationalis, & carnis constituit non solum naturam humanam; sed etiam suppositum humanum. In ipso etiam, Christo, si natura humana non fuisset assumpta à Verbo, constituisset suum suppositum; assumpta autem à Verbo non constituit suppositum, sed sustentata est in supposito diuino, ab æterno iam in esse constituto. Patet ergo, quòd tam ex veritate loquutionum de Christo homine, quam ex comparatione illarum trium opinionum ad inuicem, soluitur quæstio proposita; cuius solutio est, quòd in Christo est compositio animæ rationalis, & carnis, sed ex tali compositione non constituitur suppositum, vt credebat prima opinio, & tertia; sed solum constituitur natura humana; vt asserit opinio secunda, quæ est Catholica. Non ergo sunt in Christo duo supposita, vel non est in eo aliud, & aliud suppositum; sed alia, & alia natura. Sunt ergo in Christo duæ naturæ, non duo supposita, vel duæ personæ. Si ergo prima opinio sciuisset distinguere inter naturam, & suppositum, posuisset in Christo animam rationalem coniunctam carni, non constituentem suppositum, sed naturam humanam. Et si tertia opinio hoc sciuisset, non negasset in Christo animam coniunctam carni, quia non oportebat, & ex hoc constitueretur suppositum, sed sufficebat, vt ex his constitueretur natura humana, nec oportebat propter hæc in Christo ponere duo supposita, sed solum duas naturas.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, vt communiter dicitur, non fuisse intentionem Magistri, vt nomine naturæ humanæ, vel per hoc vocabulum, natura humana, intelligeretur anima, & caro ad inuicem separata, sed ad inuicem vnita, & coniuncta.

Ad secundum dicendum, quòd Damasc.

Nomine humanitatis non intelliguntur anima, & caro diuisim, sed coniunctim.

De diuinitate & humanitate in Christo non collatur etia natura, sed bene ex anima, & carne, de primo loquitur Damasc. non de secunda.

Dubitatio

Solutio in dubijs litteralibus.

Vnio ad Verbum fuit per potentiam agentis diuini, non naturalis.

Arist. 8. phys. sic. 6. 34.

Verbum poterat viuificare carnem effectiue, sed non formaliter.

Tom. 3.

nasc. in illo 3. lib. c. 3. intendit, quod in Christo Iesu non est communem speciem accipere, quantum ad Deitatem, & humanitatem, quia ex Deitate, & humanitate in Christo, non conflatur aliqua natura communis, & tertia; sicut conflatur ex anima rationali, & carne, ex quibus conflatur vna natura communis, & tertia, quæ dicitur humanitas. Nulla autem natura communis, & tertia conflatur ex Deitate, & humanitate Christi. Vtrum autem dictum Damasc. possit habere bonum intellectum quantum ad animam rationalem, & carnem, quod in Christo etiam hoc modo non sit communem speciem accipere in litteralibus questionibus poterit declarari.

Ad tertium dicendum, quod vnio animæ rationalis ad carnem est vltima compositio possibilis in natura. Nam consideratio naturalis Philosophi non se extendit ultra animam rationalem, quia non se extendit ad intelligentias: Nam, *que non amplius mota mouent, non amplius sunt Physicæ considerationis*; non ergo plus arguit argumentum, nisi quod vnio humanæ naturæ, vel vnio animæ rationalis, & carnis ad Verbum non fuit facta per potentiam alicuius agentis Physici, vel naturalis, quod concedimus; quia fuit facta per potentiam agentis diuini.

Ad quartum dicendum, quod Verbum poterat viuificare illam carnem effectiue, sed non poterat eam viuificare formaliter, quia Verbum cum sit quid perfectiuum à nullo dependere potest; omnis autem forma habet dependentiam quandam à propria materia, ipsa etiam anima separata beata habet quandam dependentiam ad carnem propriam: propter quam dependentiam, secundum D. August. circa finem 12. super Genes. *Retardatur, ne omnino feratur in ipsum summum Cælum*, idest in ipsum Deum: Caro ergo illa assumpta à Verbo non poterat formaliter viuificari à Verbo: oportebat ergo, vt viuificaretur per coniunctionem ad animam rationalem, tanquam ad propriam formam. Propter quod argumentum est pro nobis, non contra nos. Sed si bene consideretur, concludit necessariam fuisse coniunctionem animæ ra-

tionalis ad carnem, vt per eam posset caro viuificari formaliter.

ARTIC. III.

Vtrum anima, & corpus fuerint Verbo vnita accidentaliter. Conclusio est negatiua.

D. Thom. 3. p. q. 2. ar. 6. Caier. Medina. Siluius. Suarez ibidem. Vasquez ad 3. p. disp. 17. per totam. Valentia tom. 4. q. 2. puncto 2. Cabrera ibid, disp. 1.



TERTIO queritur, vtrum anima, & corpus, vel anima, & caro fuerint vnita Verbo accidentaliter. Et videtur quod sic. Quia, vt dicitur ad Philip. 2. *& habitu inuentus vt homo*; sed constat, quod habitus vnitur ei, cuius est habitus, accidentaliter, siue accipiatur pro indumento, siue prout est prima species qualitatis, quæ est habitus, vel dispositio: ergo &c.

Philip. c. 2.

Præterea. Omne quod aduenit alicui post completum esse, accidentaliter aduenit ei; sed natura humana aduenit Verbo post completum esse, ergo aduenit ei accidentaliter.

Præterea. Omne, quod est in aliquo, non sicut pars, est accidens eius; Nam vt dicitur in prædicam. *non debent nos conturbare substantiarum partes, que cum sint in aliquo, non sunt accidens eius.* ergo quod est in aliquo, non sicut pars, est accidens eius; sed humana natura est in Christo, non sicut pars: ergo &c.

Aristor. in præd. subit.

Præterea. Accidens est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem, sed Verbum assumpsit naturam humanam sine aliqua sui mutatione; & potest eam deponere sine aliqua sui mutatione, & sine aliqua corruptione ipsius: ergo &c.

IN CONTRARIUM est, Philosophus 1. physicor. vbi ait, *quod vere est*, idest, quod est substantia, *nulli accidit*: sed humana natura in Christo verè est, quia est quædam substantia: ergo.

Præterea. Christus est Deus, & homo; si ergo natura humana in Christo acciden-

dentaliter vnitur ei, vel hoc erit in quantum est homo, & hoc est impossibile; quia nulli homini vnitur natura humana accidentaliter, vel hoc erit in quantum est Deus, & hoc est etiam impossibile, quia in Deo, secundum Augustinum nihil est per accidens: ergo &c.

RESOLVTIO.

Anima. & corpus non fuerunt vnita Verbo accidentaliter: quia non se habuerunt secundum contactum tantum, vt indumentum: neque secundum operationem tantum, sicut Spiritus Sanctus in specie columbæ: neque secundum demonstrationem tantum, sicut persona Patris demonstrata per illam vocem. Hic est Filius meus dilectus, &c. sed fuerunt assumpta ad unitatem suppositi, vt patet ex minoratione eius, ex idiomatum, communicatione, & proprietatum susceptione.

RESPONDEO dicendum, quòd quamuis natura humana in Christo sit quædam substantia, non est tamen inconueniens, substantiam aliquam vniri alicui accidentaliter, sicut vestis vnitur alicui accidentaliter: & est accidens eius, quia est habitus; & habitus inter prædicamenta accidentis computatur. Nam nihil est aliud habitus, vt vult Commentator lib. 5. Meth. nisi *Vbi conuersum*: nam prout locus habet locatum, facit prædicamentum vbi, quia hoc est vbi, scilicet circumscriptio corporis circumdatis aliud corpus; sed prout locatum habet locum, facit prædicamentum, quod est habitus. Nam cum calceamentum sit locus ipsius pedis, prout pes habet calceamentum, dicitur habere quendam habitum; est enim calceamentum quidam habitus pedis calceati: sic etiam indumentum est locus corporis induti; prout ergo corpus indutum habet indumentum, dicitur habere habitum. Est ergo vnus modus, quo substantia vnitur alicui accidentaliter, secundum contactum. Alius autem modus, prout substantia vnitur alicui accidentaliter, potest esse secundum operationem, prout motor vnitur mobili. Si ergo na-

Auer. 5. Me-
teor. com.
17.
Habitus est
Vbi conuer-
sum.

A tura humana est vnita Verbo, vel hoc esset secundum contactum, vt indumentum vnitur induto; vel hoc esset secundum operationem, sicut motor vnitur mobili, secundum quem modum Angelus assumens aliquod corpus, in quo apparet, vnitur illi corpori; qui modus vnionis reperitur non solum in supposito creato, vt in Angelo assumente aliquod corpus, sed etiam in supposito increato, videlicet in Spiritu Sancto, qui apparuit in specie columbæ super baptizato Domino. Aliter tamen, & aliter apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ, & Angelus apparet in corpore assumpto; quia corpus illud assumptum ab Angelo, specialiter potest dici ab Angelo formatum, & specialiter ab Angelo motum; sed in personis diuinis non sic; quia indiuisa sunt opera Trinitatis, sicut & indiuisa substantia. Propter quod cum vna persona operatur, tota Trinitas operatur. Tota ergo Trinitas operata est columbam illam, in qua apparuit Spiritus Sanctus, & Trinitas tota operata est carnem illam, in qua missus est Filius; & tota Trinitas operata est vocem illam, in qua loquutus est Pater, cum dixit, *Hic est Filius*, &c. Tamen quantum ad Patrem, qui loquutus est per vocem illam, *Hic est Filius*, &c. & quantum ad Spiritum Sanctum, qui apparuit in columbæ specie, dicere possumus, quòd licet vocem operata fuerit tota Trinitas, tamen vox illa specialiter figurabat, & significabat Patrem: quia sola persona Patris respectu Filij se habet vt Pater. Filius namque non est filius sui ipsius, nec est filius Spiritus Sancti, sed solus Patris. Et sicut vox illa specialiter representabat Patrem; sic colūba illa specialiter representabat personam Spiritus Sancti; sed hic non ita loquimur de vnione, sicut Spiritus Sanctus fuit vnitus columbæ; vel sicut persona Patris fuit vnita illi voci; quia non sic fuit vnitus Filius humanæ naturæ, animæ rationali, & carni, sicut fuit vnitus Spiritus Sanctus illi Columbæ, & sicut Pater vnitus fuit illi voci. Possumus autem hanc differentiam assignare quantum ad tria.

Quomodo
Angelus vn-
nitor cor-
pori assum-
pto.

Columbam
in qua appa-
ruit Spiritus
Sanctus
tota Trini-
tas opera-
ta est.

Primo, quantum ad Minorationem.

Secun-

Secundò , quantum ad idiomatum communicationem .

Tertiò , quantum ad proprietatum susceptionem .

Nam Christus exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens . Quod August. exponens 2. de Trin. cap.2. explicat exinanitionem pro minoratione , asserens , quòd Filius apparens in forma serui non solùm fuit minor Patre , & Spiritu Sancto , sed etiam seipso : sed Spiritus Sanctus per illam columbam , in qua apparuit , & Pater per illam vocem , in qua loquutus est , non minorat seipsum .

Nec fuit in Spiritu Sancto communicatio idiomatum , quantum ad illam columbam , vt possit dici Spiritus Sanctus columba , & columba Deus ; sicut Filius apparens in specie humana , verè poterat dici homo , & Deus , vt planè potest haberi ab August. 2. de Trin. cap.7.

Tertiò non fuit ibi susceptio proprietatum ; ita vt quæ sunt propria columbæ conueniant Spiritui Sancto , vel proprietates vocis conueniunt Patri , sicut proprietates hominis conueniant Filio , qui verè fuit crucifixus , verè fuit passus ; quamuis ei conueniant hæc secundum quòd homo , & secundum quòd caro .

Cùm ergo quæritur , Vtrum anima rationalis , & caro fuerint vnita Verbo accidentaliter , patet , quòd hoc non potest intelligi secundum contactum , prout indumentum vnitur induto ; quia contactus propriè loquendo , non est nisi corporum ; licèt ergo incarnatio Filij Dei habeat aliquam similitudinem cum indumento ; quia ex hoc Dei Filius dicitur esse indutus carne ; non tamen per omnem modum se habet vt indumentum : quia indumentum non suscipitur in vnitatem personæ indutæ ; sicut caro illa , & humanitas suscepta fuit in vnitatem personæ Verbi : Nec etiam hoc fuit quantum ad operationem tantum , sicut Spiritus Sanctus apparuit in specie columbæ , & sicut Angelus apparet in corpore assumpto . Nec fuit secundum demonstrationem tantum , sicut persona Patris demonstrata est , & signata per vocem illam , sed fuit , sicut dictum est , secundum vnitatem personalem . Propter quod si volumus loqui de huiusmodi vnitate , sicut videmus in

A personis , & in suppositis creatis ; maximè talis vnio debet dici substantialis non accidentalis , cum illa vnio sit personalis , & substantia propriè , & principaliter , & maximè dicatur de substantia indiuidua , siue de supposito , vel persona .

Sed licet persona , vel suppositum Verbi non sit persona , vel suppositum creatum ; tamen , assumendo naturam humanam , suppleuit vices personæ , vel suppositi creati . Et quia suppositum , vel persona in substantijs est ipsa prima substantia , Dei Filius assumendo carnem , vel naturam humanam ; & in hoc supplens vices suppositi creati , debet dici suppleuisse vices primæ substantiæ in humanitate : Et quia , vt dictum est , illa vnio ad carnem facta est in vnitate suppositi , vel personæ : quod suppositum , vel persona se habet , vt personalis substantia , quæ propriè , principaliter , & maximè debet dici substantia ; ideo non accidentalis , sed substantialis talis vnio debet dici , accipiendo substantiam pro supposito , vel pro persona , vel pro prima substantia .

Verbum in humanitate suppleuit vices primæ substantiæ in creaturis.

C RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum , quòd licèt incarnatio Verbi habeat multas similitudines cum habitu , prout habitus stat pro indumento ; non tamen per omnem modum habet similitudinem habitus , vt patet per iam dicta .

Similitudine attenditur secundum aliquid quod non secundum omnia.

Ad secundum dicendum , quòd illa propositio , omne , quod aduenit alicui post esse completum &c. sic communiter temporibus nostris per hanc additionem consuevit exponi ; quòd omne , quod aduenit alicui post esse completum , & non recipitur in vnitatem personæ eius , aduenit ei accidentaliter : sed anima rationalis , & caro , vel natura humana vnita est Verbo substantialiter ; quia recepta est in vnitate personæ eius ; in qua receptione persona Verbi suppleuit vices suppositi creati , quod cõstituisset illa natura , si non fuisset assumpta à Verbo ; & supplendo sic vices ipsius substantiæ creatæ , suppleuit vices primæ substantiæ , quæ propriè , principaliter , & maximè debet dici substantia .

Adueniens alicui post esse completum est accidentis , intelligitur quando non recipitur in vnitate personæ eius.

Ad tertium dicendum , quòd licèt humana

Humanitas
in Christo
habet ali-
quo modo
rationē par-
tis; nō autē
per omnem
modum.

mana natura in persona Verbi, non per omnem modum habeat rationem partis, tamen aliquo modo se habet vt pars, prout persona Verbi post incarnationem Verbi potest dici composita ex Deitate, & carne, vt ait Damascenus lib. 3. cap. 32. Et quia componentia habent aliquo modo rationem partis, ideo &c. quomodo autem de persona Verbi verificetur compositio ex Deitate, & carne, superius diffusius declaratum est.

Quod vn-
tur alicui
personaliter,
licet
possit adesse,
& abesse,
non
tamen dicitur
vniri
accidentaliter.

Ad quartum dicendum, quod sicut corpus aduenit animæ, non tamen aduenit ei accidentaliter; quia constituit vnam personam humanam, vel vnum hominem cum anima; sic natura humana vnita Verbo, non vnitur ei accidentaliter, quia vnitur ei personaliter, quod est vniri ei substantialiter; cum persona Verbi in tali vnione suppleat vices primæ substantiæ, quæ maximè dicitur substantia.

Dub. I. Litteralis.



PER litteram primò queritur de illo verbo quantum ad primam opinionem (alij enim dicunt in ipsa Verbi incarnatione hominē quendam esse susceptum) quomodo hæc sit intelligendum?

Dicemus, quod hæc prima opinio de incarnatione Verbi nesciuit distinguere inter naturam, & suppositum, quæ in creaturis non prædicantur de se inuicem. Natura enim magis significatur in abstracto, suppositum vero magis in concreto, vt homo. Et quia valdè magna differentia est inter suppositum, quod significatur per modum concreti, & naturam, quæ significatur per modum abstracti: Ideo propter hanc differentiam nullus homo est sua humanitas.

Obiectio.

Solutio.

Et si dicatur, quod suppositum Verbi est suppositum incarnatum, ergo Dei Filius, qui est suppositum increatum, est sua humanitas. Dicitur debet, quod Dei Filius assumens humanitatem, & factus homo, suppleuit vices illius suppositi, quod constituisset humanitas illa, si non

fuiisset à Verbo assumpta: De Verbo igitur incarnato, supplente vices suppositi creati, sic verificantur post incarnationem propositiones respectu naturæ humanæ, vel respectu humanitatis; sicut verificantur de alijs suppositis humanis. & quia nullum suppositum humanum est sua humanitas, Christus, licet non sit purus homo, sed sit Deus, & homo; tamen vt homo non est sua humanitas, licet vt Deus sit sua Deitas.

Christus vt
homo non
est sua hu-
manitas:
sed vt Deus
est sua Dei-
tas.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod prima opinio, asserens in ipsa Verbi incarnatione hominem quendam ex anima rationali, & carne constitutum esse; ex quibus duobus omnis verus homo constituitur, deceptionem patitur; quia non distinxit inter naturam humanam, quæ propriè significatur nomine abstracto, & dicitur humanitas, & suppositum, quod propriè significatur nomine concreto, & dicitur homo. Nam in Christo anima rationalis, & caro propriè, & simpliciter non constituit hominem, quia non constituit suppositum, creatum, sed constituit humanitatem, quia constituit humanam naturam, quæ assumpta est à supposito diuino, quod fuit in ea verus homo.

In quo pec-
cauit prima
opinio.

Dub. II. Litteralis.



LTERIVS fortè dubitaret aliquis, Vtrum ista prima opinio possit tolerari?

D

DICENDVM, quod intelligendo hanc opinionem, sicut ponentes eam intelligunt ipsam, videlicet, quod anima rationalis, & caro Christi constituit hominem, id est constituit quendam substantiam, quæ verè poterat dici suppositum humanum; & ex hoc ponebant in Christo duo supposita; nullo modo stare potest, & nullo modo est id possibile, loquendo de incarnatione Verbi, vt loquuntur Fideles, & Catholici. Nam suppositum siue sit creatum, siue supplens vices talis suppositi, semper dicit quid per se existens; sed nihil assum-

In quibus
dicitur prima
opinio
tolerari non
possit.

assumpsit Dei Filius, vt aliquid per se existens, vel vt aliquid per se subsistens, sed quicquid assumpsit, sustentatum est in supposito Verbi. Et quia non est contra rationem naturæ, & specialiter naturæ creatæ, quod sustentetur in supposito; est autem contra rationem suppositi, quod sustentetur in alio supposito; quia hoc est de ratione suppositi, vt dicat aliquid per se existens, vel per se subsistens: ideo contra rationem incarnationis est, quod Dei Filius assumens carnem, vel assumens humanitatem, assumpsit suppositum aliquod, vel suppositum aliud, sed solum assumpsit naturam aliam, quia cum haberet naturam diuinam, assumpsit naturam humanam: & hæc cum alijs, quæ diximus superius, sufficiant quantum ad primam opinionem.

Dub. III. Litteralis.



VLTERIVS fortè dubitaret aliquis, de eo, quod in littera dicitur, quantum ad secundam opinionem (sunt autem & alij, qui dicunt, hominem *issum, non ex anima rationali & carne tantum, sed ex humana, & diuina*) cum hic sit duplex comparatio animæ rationalis ad carnem, & naturæ humanæ ad diuinam. Vtrum sit similis comparatio hic, & ibi? Et videtur, quod sic. Quia vt dicitur in Symbolo: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* ergo sicut in alijs hominibus anima rationalis comparatur ad carnem, sic in Christo Deitas comparatur ad humanitatem.

Sed contra. Quia in alijs hominibus ex anima, & carne resultat vna communis species, quæ est humanitas; sed in Christo Iesu, ex Deitate, & humanitate non fit aliqua communis species, iuxta illud Damasc. lib. 3. cap. 3. *In Christo Iesu non est communem speciem accipere.*

DICENDVM, quod hæc quæ Aegid. super iij. Sent.

Astio litteralis quærit illud, quod fuit omissum in solutione secundi argumenti, penultimæ quæstionis: Nam cum illud dictum Damasceni, quod in Christo Iesu non est communem speciem accipere, simpliciter veritatem habeat quantum ad Deitatem, & humanitatem; quia ex his duabus naturis non resultat vna communis tertia natura in Christo; ideo potest merito dubitari.

BVtrum hoc dictum Damasceni possit aliquo modo verificari quantum ad animam rationalem, & carnem in Christo, vt ex illis duabus non fit in eo communem speciem accipere. Sciendum ergo, quod communis species quantum ad præsens spectat, potest tripliciter accipi. Primò, secundum intellectualem nudationem. Secundò, quantum ad vniuersalem prædicationem. Tertiò, quantum ad realem commixtionem. Hanc autem trimembrem distinctionem manifestè asserit Damascen. loquens de Incarnatione Christi lib. 3. cap. 11. *Natura, vel nuda, cogitatione contemplatur, secundum seipsam enim non subsistit.* & hoc quantum ad primum modum, qui est secundum intellectualem nudationem, *vel communiter in omnibus hominibus eiusdem speciei hypostasis.* & hoc quantum ad secundum modum, qui est secundum vniuersalem prædicationem, *vel totaliter eadem in assumptione accidentium,* & supple omnium aliorum, & hoc quantum ad tertium modum, qui est secundum realem constitutionem.

Communis species potest sumi tripliciter.

Iesus Christus enim assumens naturam nostram, non assumpsit eam secundum communem speciem, idest secundum nudam cogitationem, quia hoc modo non habet esse reale, & in se, sed solum habet esse in intellectu, quia hoc modo communem speciem solus intellectus facit; qui facit vniuersalitatem in rebus; & qui nudat, & spoliat naturam à conditionibus indiuiduantibus, secundum quem modum sic cogitata habet etiam vna, & eadem in omnibus hypostasis, vel in omnibus indiuiduis, hoc modo non accepit Christus quantum ad naturam humanam, speciem communem; quia sicut idem Damascenus ait, non esset incarnatio, sed quædam deceptio, & quædam fictio in-

Communis species secundum intellectum tantum.

tarnationis . Videtur autem hic modus A
redire in modum Platonis , ponentis species , & ideas , quasi quædam vniuersalia separata , de quibus ait Philosophus : *Gaudent enim species, monstra enim sunt, idest fragmenta quædam sunt ; & si sunt , nihil ad rationem , idest nihil ad scientiam .*

Communis species secundu
m prædicationem.

Secundò , potest accipi communis species quantum ad prædicationem , prout habet esse in omnibus suppositis ; nec hoc modo in Christo Iesu est communem speciem accipere ex anima , & corpore ; quia non accepit animam , & corpus , vt habet esse in omnibus suppositis , & indiuiduis ; sed vt habet esse in vno indiuiduo tantum . Ideo ait Damascen. lib. 3. c. præalleg. quòd Christus assumpsit naturam nostram in atomo , idest in vno indiuiduo tantum ; quia accepit eam in suo vno supposito , vel in sua vna persona , quæ fungitur vice vnius indiuidui tantum . His ergo duobus modis in Christo Iesu non est communem speciem accipere quantum ad naturam humanam ; quia nullo istorum modorum Christus accepit naturam nostram , secundum communem speciem , sed accepit eam in atomo , & in vno indiuiduo tantum ; quia ipsa natura nostra , quam acceperat , erat indiuidua , & ipsum suppositum , in quo accepit eam erat indiuiduum , idest quid incommunicabile , indiuisum per multa supposita , neque prædicabile de multis suppositis .

Christus assumpsit naturam nostram in atomo.

Communis species secundum constitutionem.

Tertio modo potest accipi communis species , quantum ad constitutionem , & hoc modo , licet in Christo quantum ad Deitatem , & humanitatem , non sit communem speciem accipere ; quia ex illis duabus naturis nulla resultat , vel constituitur vna communis species , & natura tertia ; tamen quantum ad animam rationalem , & carnem est in Christo Iesu vnâ communem speciem accipere ; quia ex anima rationali , & carne resultat , & constituitur in Christo Iesu vna communis , & tertia natura , quæ dicitur humanitas ,

In Christo est communem speciem accipere quantum ad animam rationalem , & carnem , ex quibus tertia natura resultat , idest humanitas , non autem quantum ad humanitatem , & diuinitatem , ex quibus tertia natura non constituitur .



Dub. IV. Litteralis .



L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo , quòd Magister ait in littera quantum ad tertiam sententiam : *Si Deus hominem assumpsisset in sexu muliebri .* Vtrum hoc fuisset possibile ?

D I C E N D U M , quòd quantum ad B
Dei potentiam absolutam potuisset Deus assumere hominem in sexu muliebri ; sed quantum ad Dei potentiam ordinariam , prout est Deus quid immutabile , & non facit nisi ea , quæ ab æterno ordinauit ; quia hoc modo ordinauit ab æterno accipere humanam naturam in sexu virili : ergo &c.

Circa tertiam opinionem .
An potuisset Deus assumere naturam humanam in sexu muliebri .

C
Aduertendum , quòd tertia positio ideo dicit hæc verba ; quia secundum eam Christus assumpsit animam separatam à carne ; secundum quem modum nullo modo esset in Christo , communem speciem accipere ; quia ex anima separata , & carne nullo modo resultat vna communis species , quæ est humanitas . Hoc tamen dicit tertia positio ad defendendum sententiam suam ; quia in anima separata non est dare distinctionem sexus , nec masculinum , nec foemininum . Si ergo Christus assumpsit animam rationalem coniunctam carni , potuisset humanam naturam assumere in sexu muliebri , quòd habet tertia positio pro inconuenienti .

Dub. V. Litteralis .



L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo , quòd in littera dicitur : *Sapientia accedens homini , idest , adueniens non mutatur , sed hominem mutat , quem de stulto sapientem facit .* Vtrum hoc sit verum ?

DICENDVM, quòd hoc pro tanto dicit; quia aliter aduenit, vel coniungitur cibus homini; & aliter sapientia; nam cibus cum aduenit cibato, corrumpitur à natura sua; & conuertitur in naturam cibati: sed sapientia adueniens homini, non corrumpitur à natura sua; sed manens in sua natura, & manens sapientia, mutat hominem, cui aduenit; qua vel ipsum de stulto sapientem facit, vel de sapiente sapientiore constituit: quia, vt dicitur Prouerb. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit.*

DISTINCTIO VII.



SECUNDVM verò primam dicitur, &c. Postquam Magister circa incarnationem Verbi assignauit tres positiones; In parte

ista, vt dicebatur, adducit quædam scientia ad declarationem illarum trium positionum. Tria ergo facit, quia primo adducit quædam declarantia primam positionem. Secundò, secundam. Tertio, tertiam. Secunda ibi: *In secunda verò.* Tertia ibi: *In hac igitur sententia.*

Circa primum quatuor facit, quia primò declarat quomodo loquendum sit, secundum primam opinionem, prout *Dei Filius* dicitur factus homo. Secundò, quomodo loquendum sit, prout Christus dicitur prædestinatus, quia non est prædestinatus, vt *Deus*, sed vt homo. Tertio obijcit contra determinata. Quartò respondet ad obiectiones factas, concedendo obiectiones. Secunda ibi: *Et hac gratia.* Tertia ibi: *Huic autem sententia.* Quarta ibi: *Quod & illi concedunt.* Tunc sequitur illa pars: *In secunda verò.* in qua adducit aliquid ad declarationem secundæ opinionis. Circa quod duo facit, quia primò facit quod dictum est: secundò respondent ad ea, quæ videntur esse contra hanc secundam opinionem ibi: *Determinant enim.*

Aegid. super iij. Sent.

A Circa primum tria facit, quia primò declarat quomodo loquendum sit, quantum ad secundam opinionem; prout *Deus* dicitur factus homo. Secundò declarat, quomodo verificatur de *Deo*, hoc verbum, est, vt quomodo verum sit, quòd *Deus* est homo. Tertio declarat quomodo verificatur de *Christo*, vel de *Dei Filio* hoc participium, prædestinatus, quia non est prædestinatus, quòd sit *Deus*, vt *Deus*, sed prædestinatus est, quòd sit homo, vt homo. Secunda ibi: *Variatur autem intelligentia.* Tertia ibi: *Isti dicunt.*

B Tunc sequitur illa: *Determinant autem auctoritates.* Circa quod tria facit, prout secunda opinio tria asserit. Nam primò asserit hominem non esse assumptum, sed humanitatem, vel naturam humanam. Secundò, *Deum* non esse duo etiam nominaliter; seu neutraliter, quia non est duo supposita. Tertio personam Verbi post incarnationem Verbi esse compositam. Primò ergo soluit ea, quæ videntur ostendere, quòd homo sit assumptus. Secundò, ea quæ videntur ostendere, quòd *Christus* sit duo. Tertio ea, quæ videntur ostendere, quòd persona Verbi post incarnationem non est composita. Secunda ibi: *sed ijs videntur aduersari.* Tertia ibi: *Est autem & aliquid.* Prima pars remanet indiuisa.

C Tunc sequitur illa pars: *sed ijs videntur.* in quo respondet, & soluit ea, quæ videntur concludere, quòd *Christus* sit aliud, & aliud. Ex quo videtur sequi, quòd *Christus* sit duo. Igitur duo facit, quia primò soluit, & respondet ad ea, quæ videntur concludere, quòd *Christus* sit aliud, & aliud. Secundò ad ea, quæ videntur concludere, quòd *Christus* sit duo. ibi: *Quod etiam dictum est.* Circa primum tria facit: quia primo ponit obiectiones: secundò soluit eas: tertio suam solutionem approbat, & confirmat per *Hilarium*. Secunda ibi: *Hoc autem in hunc modum.* Tertia ibi: *Apertè enim Hilarius.*

D Tunc sequitur illa pars, *quod etiam dictum est,* in quo soluit, & respondet ad obiectiones, quæ fieri possunt, quòd